



R. XII. 8. no. 180.



3120

ΣΤΝ ΘΕΩ
DISPUTATIO THEOLOGICA,
De

LIBERO AR-
BITRIO.

Quam,
PRÆSIDE
VIRO

Plurimum Reverendo, & Excellentissimo,

DN. JOHANNES
MICHAELE DILHEROSS.

Theologiæ extraordinario; & Orat. Hist. atq; Poet.
ordinario Professore publico celeberrimo, Dn.
Præceptore & Promotore suo omni honoris
& observantiæ cultu ætatem

prosequendo,

publicæ ventilationi

submittit

M. JOHANNES MU-
SÆUS, Longopræ. Thur.

in Auditorio Theologorum.

Ad d. VI. Aprilis

Anno clō Ioc XLII.

JENÆ

Typis Lobensteinianis.



V I R O

Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo, Ex-
cellentissimo,

DN. GEORGIO FRANTZKE,

JCTO eminentissimo,

Illustrissimi ac Celsissimi Principis ac
Domini,

DN. ERNESTI,

Ducis Saxoniae &c. Cancellario

gravissimo, & Consistorii Ecclesiastici
Præsidi dexterrimo,

Mecenati ac Patrono suo permagno.

VT ad TE haec ablegarem pa-
gellas, Vir Magnifice, Nobilissime,
Amplissime, Dn. Patrono & Mæce-
nas Colendissime, calcaris instar me instiga-
vit insignis Tua, erga literarum studia, be-
nevolentia: cujus impetrandæ mirâ quâdam
cupiditate incendor, quoties ab aliis eam de-
bitis

Amicus & Patronus

bitis encomiis laudari audio. Sed & illud de-
prædicare satis pro dignitate non possum,
quod, cum maximarum rerum occupatio-
nes otium ferè omne Tibi eripiant, & à li-
terarum tractatione profundas cogitatio-
nes Tuas distrahant; nihilominus quotidie
ferè aliquid temporis suffuraris, quod, præ-
cæteris, Sacrarum literarum, in quibus Tuæ
delitiæ, Scriptorūq; Theologicorū lectioni
impendas: adeò ut penitiorē SS. Theologiæ
cognitionē, raro Jctorū exemplo, consecu-
to, de rebus difficilissimis exquisitissimè judica-
re jam valeas. Id quod & in Tui admiratio-
nē, & amorem ardentissimum me rapit: ut
ejus felicitatis, quæ in præsentem hominis
vitam cadere possit, haud minimam partem
assecutus esse videar, si tanti Viri benevolen-
tiâ frui mihi contingat.

Quamvis verò commodum, quo la-
tentem meum, erga Te, amorem, tacito quo-
dam sensu dudum Tibi devinctum, testa-
rer, argumentum hætenus invenire nō licu-
erit: libuit tamen præsentem disputatio-
nem, nomini Tuo Magnifico inscriptam,
cum observantia & debita devotione offer-
re

re: exiguum sanè munusculum, si suâ id ma-
gnitudine metiaris ; sed si animum spe-
ctes , quibusque de causis detur, animad-
vertas; nullus dubito, quin eâ, quâ soles, hu-
manitate accepturus sis, & animum Tibi
devotum inde perspecturus. Age, Vir Ma-
gnifice, & serenâ fronte suscipe qualecunq;
hoc, quod offero, ; mihi que fave.

*Tuae Magnificentiae
Observantissimus*

**M. Johannes Mu-
laus.**



In
NOMINE JESU!

§. I.



Multiplex solet li-
bertas notari ab iis,
qui doctrinam de li-
bero arbitrio expla-
nare aggrediuntur.

*Varia li-
bertatis
acceptio
notatur.*

Lombardus L. II. d.
XXV. distingvit inter libertatē à *necessi-
tate*, (externā) à *peccato*, à *miseria*. Hāc &
istam tribuit *gratia*; illam verò *natura*.
A quo, quantum ad rem, nihil distant,
qui primam *natura*, secundam *gratia*,
tertiam *gloriae* libertatem appellant.
Quidam addunt quartam & quintam li-
bertatis acceptionem, videlicet liberta-
tem à *necessitate*, (interna) & *ab obligatio-
ne*; ut & sextam, quam libertatem à *ser-
vitude* nominant; *servitutis* appellatio-
ne in civili significatu utentes. Alii ali-
ter. Verū quia non de quavis liberta-
te; sed de ea solū, à qua actus hominis
liberos denominamus, tractatio præ-
sens est: ex iis, quas Lombardus recen-
suit,

A
suit,

fuit, & alii superaddiderunt, nulla hujus loci propriè est, præter libertatem à necessitate, quamvis in eo sensu, quo ille accepit, & ipsa non sufficiat. Nam necessitatis nomine usus est pro necessitate externa seu coactione: cum tamen libertas actionum non solum coactionem, sed etiam necessitatem internam, quâ facultas ad unum oppositorum determinatur, æquè excludat: siquidem ratio, cur brutis & inanimatis rebus, sine vi externa agentibus, libertatem denegetur, alia non est, quàm quod ab intrinseco ad unum determinatæ sint.

*Libertas
indifferentiæ
hujus
loci est.*

*Definitio
liberi
arbitrii.*

§. II. Libertas igitur, ad actiones relata, importat formaliter *indifferentiam* agentis: quo sensu liberum arbitrium in homine communiter definiunt, quod sit *facultas animæ rationalis, quæ positis omnibus ad agendum requisitis potest agere & non agere, vel agere hoc & agere illud.* Hæc libertas competit formaliter soli voluntati, & ut dictum, excludit tum *coactionem*, tum *necessitatem internam*, quâ agens ad unum oppositorum

Cōtra-Remonstrantes ita determinatur, ut alterum agere in ejus potestate non sit. Et in hoc dissentimus à *Cōtra-Remonstrantibus*: qui
pro

pro pallianda sua gratia, ut vocant, irresistibili, & decreto absoluto, docent, libertatem non pugnare cum necessitate, sed cum vi & coactione tantum; nobisq; persuadere volunt, actiones etiam necessarias, quæ ita ab agente procedunt, ut in ejus potestate non sit non agere, vel oppositum agere, verè liberas esse, modò non sint externa vi extortæ. Vide Calvin. L. II. Instit. c. II. §. 6. Chamier. Panstrat. Cath. Tom. III lib. II. c. I. Molin. in Anat. Arnim. de Lib. arb. c. II. n. 16. & alios, de quorum argumentis, datâ occasione, in ipso conflictu videbimus.

§. III. Tria autem spectari possunt in libero arbitrio, prout jam definitum est:

1. Subjectum, cui libertas primò competit, quod est facultas anima rationalis appetitiva, quæ uno verbo dicitur voluntas.

2. Requisita ad agendum: ad hoc enim, ut facultas appetitiva possit suam libertatem exercere, requiruntur quædam, tum ex parte intellectus; tum ex parte voluntatis. Ex parte intellectus, requiritur cognitio, quâ voluntati bonitas objecti exhibeatur; juxta tritum.

In libero arbitrio

spectanda.

1. Subjectum

2. Requisita ad agendum.

illud: *ignoti nulla cupido*. Unde est, quod intellectui quidam tribuant libertatem radicaliter: quod quo sensu verum sit, apud Philosophos declaratur, ubi videas. Quamvis verò voluntas in rebus, rationi subjectis, seipsam determinet ad eliciendum actum: negari tamen nequitquam potest, ad hoc, ut promptè feratur in bonum, & à malo abstineat, ab assuefactione & habitibus, usu contractis, plurimum eam juvari, quod Philosophus, ut alibi passim, ita *Lib. II. Nic. c. I. L. III. c. V. & seq. & Lib. X. c. IX.* præclare docet, & experientia satis superq; testatur. Nō rarò videmus, homines in disciplinis versatissimos, & acutissimè disputare, valentes de rebus, rerumq; bonitate & malitia, ineptiores esse ad benè vivendum, & bonum persequendum; quàm alii in disciplinis minus versati, sed rectè educati & ad bonum assuefacti: ut non sine causa scribat Stagiritis *lib. X. Nic. c. IX.* ratio & doctrina fortasse non satis validæ sunt, ad virtutem inducendam, cause: oportetq; animum auditoris excolimoribus, ut rectè gaudere ac dolere possit: non aliter quàm terram, quæ proferendi seminis

minis facultatem habitura sit, prius probè excultam esse oportet.

3. *Ipsi actus è voluntate elicitì, qui sunt velle, nolle, amare, odisse &c.*

3. *Actus è voluntate elicitì.*

Hic agim⁹

1. *non de subjecto.*

§.IV. Nobis, hoc loco de libero arbitrio Theologicè disputaturis,

1. nequaquam sermo est de *subjecto libertatis*, nèpe de facultate anime rationalis appetitiva. Hanc enim in homine etiam non renato reliquam esse, toties confitemur, quoties hominem non-renatum hominem esse, & specie à bruto differre asserimus. Hoc sensu disputat Autor *de Dogmat. Eccl.* quem Gennadium Massil. Presbyterum esse volunt, c. XXXII. & Autor *Hypognost. L. III. col. 1371. edit. Basil. anno 1569.* ut & Bernhardus *de Grat. & lib. arb. col. 904. edit. Antverp. anno 1616.* homini non renato etiam liberum arbitrium superesse.

2. Neque quæstio nobis est de *ipsis actibus*, qui sunt velle, nolle, Deum amare, peccatum odisse &c. an sint actus voluntatis. Si enim hominem velle, nolle, amare &c. dicendum est; sicut omninò fatemur: omnes simul fateamur oportet, actus illos esse voluntatis actus. Di-

2. *neg, de ipsis actibus.*

A 3 cere

ere enim, hominem velle, hominem nolle, & tamen negare, quod velle, nolle, sint actus voluntatis, repugnat. Vide pulchrè hac de re differentem Augustinum *de Grat. & Lib arb. c. XVI. & de Corr. & Grat. c. II. ut & Autorem de Dogm. Eccl. c. XXXII. Confer Bernh. d. l.*

*Sed 3. de
requisitis
ad agen-
dum.*

3. Restat igitur controversia unice de iis, quæ tum ex parte intellectû, tum ex parte voluntatis, requiruntur ad exercendos actus *spiritualiter bonos*: an in homine non-renato, vel ex toto: vel ex parte, supersint?

*Renatis
cõceditur
aliqua li-
bertas in
Spiritua-
libus.*

§. V. Dico, 1. in homine non renato. Nam renatos habere aliquam libertatem in rebus Spiritualibus, claris verbis testatur Decl. Form. Conc. p. 675. inquit: *Cum enim, juxta Pauli doctrinam, omnes qui baptizati sunt, Christum induerint, & revera sint renati; habent illi jam liberatum arbitrium: hoc est, rursus liberati sunt, ut Christus testatur. Unde etiam non modò verbum Dei audiunt, verum et-*

Nõ-renati iam, licet non sine multa infirmitate, eidem habent li-

bertatem, aliquã in qui sunt, & rectè se habèt, circa res merè non-spiri- Spirituales. Nam circa res rationi sub- jectas,

jectas,

jectas, aliquam libertatem homini non renato superesse, concedit Ecclesiarum nostrarum symbolum *August. Conf. art. XVIII.* quò pertinent nò solum omnia, quæ homo naturali rationis lumine, in rebus, creatis cognoscere potest, bona, vel mala, & sic appetenda, vel fugienda esse: sed etiam quæcunque de ipso creatore, cujus *æterna potentia & Divinitas* ex operibus intelligitur, docente Paulo *Rom. I, 21.* humano acumine investigari possunt, quod inter alia tradit *Conf. August. d. l. & Apol. ejus de lib. arb. p. m. 218.* Nec malè cum aliis huc refert desideratissimus noster præceptor Gerhardus externum mediorum, ad conversionem divinitus ordinatorum, usum, de quo vide *Tom II. Loc. p. 594. Confes. Cathol. L. II. part. III. art. XXII. c. IV. p. 537.*

§. VI. Cardo itaque quæstionis in hoc propriè vertitur: *an homini lapsò, antequam renascatur, adhuc aliqua supersint vires, tum à parte intellectus, tum à parte voluntatis: ut citra specialem Spiritus gratiam voluntas, ad bonum, in rebus spiritualibus, vel ex toto, vel ex parte sese determinare possit?* vel ut *Clar. Form. Conc. p. 655.* quæstionis statum format: *quid*

Stat9 quæstionis.

A 4 bo-

hominis nondum renati intellectus & voluntas, in ipsa conversione & regeneratione, ex propriis suis & post lapsum reliquis viribus, prestare possit; quando videlicet verbum Dei predicatur, & Dei gratia nobis offertur.

*Membræ
tractationis.*

§. VII. His ita præmissis pro Orthodoxæ sententiæ explicatione ostendendum est, ex Scripturæ fundamentis, quòd I. *Intellectui*; II. *Voluntati* hominis non renati, quoad res Spirituales, nullæ supersint vires: sed III. *Deus solus in nobis operetur conversionem*. IV. ita tamen, ut in hominis potestate sit, resistere, & non converti.

*Intellectus
cæcitas,
quoad res
Spirituales*

IIIX. Intellectum hominis corrupti in rebus Spiritualibus cæcum esse, & viribus omnibus destitui, docet Declaratio Form. Conc. p. 657. hunc in modum: *Etiamsi humana ratio, seu naturalis intellectus hominis, obscuram aliquam notitiæ illius scintillulam reliquam habet, quod sit Deus; & particulam aliquam legis tenet: tamen adeò ignorans, cæca & perversa est ratio illa, ut etiamsi ingeniosissimi & doctissimi homines in hoc mundo Evangelion de filio Dei, vel promissiones Divinas de æterna salute legant vel audiant: ta-*
men

men ea propriis viribus percipere, intelligere, credere, & vera esse, statuere nequeant.

§.IX. Ad hoc confirmandum *Confirmatio hujus* illustris est locus *I. Cor. II.* ubi Apostolus *sententia.* totus in eo est, ut omnem vim & efficaciam, in rebus Spiritualibus, Divinæ attribuat virtuti; vires homini, sibi relicto, contrà detrahat omnes. A versu 4. usque ad 13. commendat tum *efficaciam* *predicationis Evangelii*, quæ non in *persuasoriis humane sapientie verbis*, sed in *demonstratione Spiritus & potentie*; non in *sapientia hominum*, sed in *potentia DEI* consistit; tum *sapientie per Evangelium*, *predicatae sublimitatē*; quæ nō est *sapientia hujus seculi*, neq; *principum hujus seculi*; sed *Dei: sapientia in mysterio*, quæ *abscondita est*, quam nemo *principum hujus seculi* cognovit &c. sed quam *Deus revelavit per Spiritum*; qui *omnia*, etiam *profunditates Dei scrutatur*.

Ne verò existimes, causam, cur non indocti tantum, sed nec sapientes hujus seculi, sapientiam illam assecuti fuerint, non fuisse ex virium defectu, sed ex spontanea malitia, quod viribus, quas naturaliter habuerint, non usi re-

A 5 etè

Et fuerint: en! Apostolus non acqui-
 escit in eo, quod dixit, sapientiam illam
 esse absconditam in mysterio, quæ à Spi-
 ritu, qui profunditates Dei scrutatur, re-
 veletur, & sic altior sit, quàm ut ab ho-
 mine sibi relicto investigari queat (quod
 posset ad tollendum dubium sufficere)
 sed insuper illud, de quo hic differimus,
 conceptis verbis exprimit, docens, ho-
 minem per lapsum ita esse spiritualibus
 viribus destitutum, *ut neq; capiat, neq; co-
 gnoscere possit, sed pro stultitia reputet* τὸ
 ἔκλυματ Ἰεῶ, *ea, quæ sunt Spiritus
 Dei. Animalis homo, ait, non percipit (vel
 non est capax eorum) quæ sunt Spiritus
 Dei: stultitia enim ei sunt, nec potest intel-
 ligere.* Quod dicit, ψυχικὸς ἄνθρωπος *a-
 nimalis homo, de eo pulchrè Chrysosto-
 mus: ψυχικός ὤντων ὁ ἔκ παντὶ τοῖς λογισμοῖς
 τῆς ψυχῆς διδῶς, καὶ μὴ νομίζων, ἄνωθεν
 ἔκ δεῖο θαι βοηθείας, animalis est, qui
 dat universum animæ rationibus, nec existi-
 mat se ullo superno egere auxilio: melius
 certè, quàm Erasmus; qui id ad inferio-
 rem tantum animæ facultatem refert, &
 hominem animale intelligi vult il-
 lum, qui affectus sequitur humanos: cum
 tamen Apostolus ibi præcisè non agat
 de*

de homine, quatenus affectuum ductū sequitur; sed de ἀδωαμία ad cognoscendum, quæ propriè in mente est. Unde *Eph. IV, 18.* dicitur homo non-renatus ἐσκότισμένον τῆς διανοίας obtenebratus mente, eiq; tribuitur ignorantia, propter quã ab alienatus sit à vita Dei: & c. V, 8. σκότιον tenebræ, emphatico vocabulo, appellatur: quod summè obtenebratum, & omni Spirituali luce destitutum inuit intellectum. Quò referunt non recentiores modò, sed etiam ex antiquitate Augustinus *de Præd. Sanct. c. II.* & *Synod. Araus. can. VII.* locum ex *II. Cor. III, 5.* nō quod idonei sumus, ex nobis ipsis, ad cogitandum quidquam, tanquam ex nobis; sed quod idonei sumus, id ex DEO est.

§. X. Sed hîc difficultas non levis sese offert. Videri n. possint, quæ de intellectu humani cœcitate adduximus, vera esse; si omni medio supernaturali destituatur: sicut qui nunquam quicquam de Trinitatis, incarnationis &c. mysteriis audivit, ad eorum notitiam, solo naturali lumine, penetrare haud potest: quærat autem quis, annon suppositâ sacrâ Scripturâ, tanquam medio, quam

Obiectio
proponitur.

quam homo irrogenitus etiam legere potest, ex naturalibus viribus, sicut verbum potest legere, ita etiam mysteria in verbo revelata intelligere queat, & quidem cum assensu bono de iis cogitare, adeoque fidem sine speciali Spiritus S. operatione concipere? In rebus naturalibus ita est, ut hominis, bonis disciplinis non imbuti, intellectus cæcus sit ad ea, quæ subtili ratiocinatione indaganda sunt. Si verò præceptoris operâ utatur, vel scripta doctiorum, in quibus perspicua declaratio habetur, adhibeat; vires habet naturales, ut sine Spiritus S. speciali gratia possit res difficiles intelligere, & iis assentire: an forsan de rebus Spiritualibus idem dicendum? Ita sensit olim S. Pater Augustinus, quod ipsemet de se fatetur *de Præd. Sanct. c. III.* se putasse, scribens, *fidem, quâ in Deum credimus, non esse donum Dei; sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter & justè & piè vivamus in hoc seculo. Neq; enim fidem putabam Dei gratiâ præveniri, ut per illam nobis daretur, quod posceremus utiliter; nisi quia credere non possemus, si non præderet præconium veritatis. Ut autem prædicato*

dicato Evangelio consentiremus, nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse arbitrabar. Eundem errorem, postea propugnavit Pelagius cum sociis, teste August. d. l. c. I. Videtis certè, quid tunc de fide atq; operibus sentiebam; quamvis de commendanda DEI gratia laborarem: in qua sententia istos fratres nostros esse nunc video: quia non, sicut legere libros meos, ita etiam in eis curaverunt proficere mecum.

§. XI. Ita plausibilis est objecta opinio, ut etiam Doctissimo Patri olim imposuerit, & post aliis ad Pelagianam hæresin ansa fuerit. Ne scrupulus alicui hæreat; operam dabimus; ut difficultas tollatur: in quantum quidem instituti brevitatis permittet.

§. XII. I. ut literas & syllabas, quibus consignata sunt fidei mysteria, oculis deprehendas; vel etiam auribus percipias, sensuum opus est: ut, quem a nimo conceptum verba ingerant, cognoscas; ab intellectu habes. Utrumq; non minus in renatis, quam in irregentis, naturales vires præstare possunt. Nec enim ad intelligendum, quid notent vocabula, v. g. Deus, homo, equus &c.

Objectio
plausibilis
in cuius solutione
observandū, quod

I. Vocum
significati-
ones pos-
sumus vi-
ribus na-
turalibus
percipere.

in

in sacra Scriptura, peculiari aliqua indi-
ges gratiâ.

Naturale namque est, ut, signis in
actu constitutis, & potentiæ cognoscē-
ti objectum representantibus, (qualiter
se etiam habent voces, ex hominum im-
positione significantes, quando à lin-
gva perito leguntur vel audiuntur;) po-
tentia cognoscens in rei significatæ per-
ceptionem deveniat. Hoc Scripturam,
etiam in mysteriorum revelatione à
parte hominum præsupponere, vel inde
liquidū est, quod Gentiū Doctor I. Cor.
XIV, 7. & seq. tam diligenter inculcat, &
hortatur, ut cœlestis doctrina claro & u-
sitato verborū genere, quò intelligi ab
omnibus possit, in Ecclesia proponatur,
inter alia inquiring v. 8. & 9. *Etenim si in-
certam vocem tuba dederit, quis appara-
bitur ad bellum? Sic & vos, per linguam
nisi significantem sermonem dederitis, quo-
modo intelligetur, quod dicitur: eritis enim
in aërem loquentes. Et v. 11. si nesciero vim
vocis, ero ei, qui loquitur, barbarus: & qui
loquitur, apud me barbarus.*

II. Etiam
verborum
sensem in-
telligere
naturale
est.

§. XIII. II. Quin & illud negare
non possumus, quod homo non rena-
tus, qui linguarum gnarus est, & disci-
plinis

plinis excultus, non solum verborum
 singulatim acceptorum significationes,
 sed & sensum, quem in contextu impor-
 tant, sine supernaturali Spiritus sancti
 operatione, suo modo, intelligere que-
 at, & sic sibi aliqualem summorum fidei
 articulorum notitiam historicam, ut vo-
 cant, comparare: v. g. cum dicitur, De-
 um esse unum, & tamen Patrem esse
 Deum, Filium esse Deum, Spiritum S.
 esse Deum: Filium Dei natum esse ex
 muliere, virginem peperisse, mundum
 ex nihilo creatum esse, mortuos resurre-
 cturos esse &c. quid singulae enunciatio-
 nes significant, naturalibus viribus co-
 gnosci potest ab iis, qui linguae, in qua
 proponuntur, notitiam habent. Ratio
 est, quia voces, in orationis contextu, no-
 minus sunt signa, etsi complexivè su-
 mantur, potentiae cognoscenti non mi-
 nus representant sensum; quam si sin-
 gulatim sumantur, conceptus simpli-
 ces. Idem docet Scriptura: quia Paulus
 loco jam citato non tantum de vocibus
 simplicibus, quarum significata audito-
 ribus citra revelationem nota sint; sed
 & de integro orationis contextu loqui-
 tur, & praecipit: ut mysteria fidei propo-
 nan-

nan-

nantur ita usitato orationis genere, ut sensus à quolibet audientium possit intelligi: aut si non omnes intelligant, requirit, ut interpretatio addatur: quibus omnibus opus non esset, si Spiritus S. notitiam quoad verborum significaciones, & orationis sensum, conferret supernaturaliter. Et quæso, quid aliud intelligitur v. 9. per λόγον ἑυσημον? Sic & vos, per linguam nisi significantē sermonē dederitis &c. Reprehendit enim eos, qui in Ecclesia res sacras peregrinā linguā eloquebantur: quo contingebat, ut nec verba, nec dictorum sensum intelligerent auscultantes: ad quorum ædificationem tamen utrumque erat necessarium. Quod si Spiritus S. supernaturaliter eam operaretur notitiā, Paulinæ reprehensioni rursus locus non fuisset. Quamvis enim illi naturaliter non intellexissent dictorum sensum, intellexissent tamen ex illuminatione Spiritus S.

Huc accedit, quod lingvarum donum, Apostolis extraordinariē collatum, non ad hominis regenerationem pertinet, vel ad sanctificationem; sed ad munus Apostolici functionē. Quibus addo

addo experientiam, quam Scripturæ exempla nobis suppeditant.

Obstinosos Judæos & Græcos Spiritus S. gratiam excussisse, & in mentis cæcitate perseverasse, nemo, puto, negabit: & tamen dicit Paulus *I. Cor. I, 23.* quod Christum prædicaverit *Judæis offendiculum, Græcis stultitiam.* Jam si Christo, aut prædicatio Evangelii de Christo *Judæis offendiculum, Græcis stultitia est:* sequitur omninò, utrisq; Evangelium de Christo, quoad verborum significaciones & dictorũ sensum, fuisse cognitũ. Nullum n. dogma alicui offendiculo vel stultitiæ esse potest, cujus sensus cognitus non est. Et Joh. VIII. quamvis captiosè disputarent Judæi cum Christo, eum mox lapidaturi: sensum tamen dictorum, summa fidei mysteria concernentium, perceperunt; cum sine eo ne disputare quidem potuissent: quæ intelligentia ex Spiritus S. illuminatione non fuit, quippe cui januam prorsus occluserat Judæorũ obstinata malitia. Hoc naturalibus hominis viribus concedendum esse; agnovit par Theologorum, de Ecclesia Christi meritissimorũ, Chemnitius & Gerhardus: ille *part. 1.*

*Exemplũ
Judæorũ
& Græcorũ.*

*Chemnitii
& Gerhardi
testimonium.*

B

Loc.

*Loc. Com. de lib. arb. grad. 1. fol. 196. admit-
tit, quod in objectione posuerat, homi-
nes non renatos cogitare de Deo Rom. I, 21.
posse legere Scripturam II. Cor. III, 14. posse
loqui de verbo Dei, Ps. L, 16. Quare tu e-
narras justificationes meas? posse audire
concionem, ut Act. XVII, 20. Athenienses. I-
mò posse concipere fidem historicam, si-
cut de Diabolis inquit Jacobus. c. II, 19. &
de hypocritis manifestum est. Hic in Conf.
Cath. de lib. arb. p. 537. concedit, quod
homo, in Ecclesia educatus, & ab ea infor-
matus, literalem quandam & historicam
fidei cognitionem PER VIRES LIBERI
ARBITRII sibi comparare possit; etiamsi nō
sit interius per Spiritum S. regeneratus &
renovatus.*

III. Ali-
qualis as-
sēs9 potest
etiam na-
turaliter
haberi.

§. XIV. III. Etiam aliqualem as-
sentū posse haberi circa mysteria fidei,
citra specialem Spiritus S. gratiam, testis
est Jacobus c. II, 19. Diabolis quoque tri-
buens, quod credant: testes sunt hypo-
critæ & hæretici, qui quibusdam fidei
dogmatibus assentiuntur, ex aliquo hu-
mano motivo, videlicet ex majorum
traditione, ex testimonio parentum, vel
ex recepta quadam consuetudine &c.
quibus gentiles etiam movebantur, ut

por-

portenta quædam & monstra opinio-
num crederent, quæ falsitatis convinci
poterant, nec raro à SS. Patribus, aper-
tissime falsa esse, demonstrata erant.
Et huc collimant verba, ex Chemnitio
jam citata, quod homines non renati
possint concipere fidem historicam, quæ
omninò aliqualem assensum inclu-
dit.

§. XV. Hæc tanquam concessa
ab hoc loco removeri oportet; ne sub
iis Pelagiani vel Synergistæ errorem oc-
cultent, & imperitioribus fucum faci-
ant, ac si illa essent, de quibus his ipsis
moveretur. Externa hæc sunt ad con-
versionem adminicula; in quorum usu
humanis viribus aliquid permitten-
dum esse, Orthodoxi minimè infician-
tur. De internis autem actionibus Spiri-
tualibus, in quibus conversio consistit,
controversia est: in his erat initiò Augu-
stini error, quem postea Pelagiani arri-
puerunt. Putabat, *FIDEM, quâ in Deum
credimus, non esse donum Dei, sed à nobis
esse in nobis*: item: *ut prædicato nobis Ev-
angelio CONSENTIREMUS, nostrum esse
proprium, & nobis ex nobis esse*. In hoc i-
gitur nervus & cardo rei versatur: an,

*De hæcte-
nus dictus
non est
questio.*

*In quo
nervus rei
consistat.*

B 2 post-

postquam doctrina fidei sufficienter, in
 verbo, proposita est, ut ab intellectu ap-
 prehendi possit, intellectus ex suis viri-
 bus citra Spiritus S. gratiam queat *im-*
motum & veræ fidei assensum præbere?
 Dico: *immotum & veræ fidei assensum.*
 Nam de opinione, & quacunq; , ex
 hominum autoritate, vel alio moti-
 vo proveniente, assensione hoc loco
 non agitur; sed de illo assensu, qui veræ
 & Christianæ fidei est. Hunc putabat
 in initio Augustinus esse ex nostris viribus:
 quem errorem postea retractavit, & præ-
 ter doctrinæ revelationē, etiam à parte
 intellectus, spirituale Dei gratiam, à
 qua sit determinatio ad assensum, requi-
 ri rectissimè docuit. *Attendant*, ait c. II.
de Prædest. Sanct. hic, & verba ista ex-
pendant, qui putant ex nobis esse fidei cœ-
ptum, & ex Deo esse fidei complementum.
Quis enim non videat, prius esse cogitare,
quàm credere? Nullus quippe credit ali-
quid, nisi prius cogitaverit, esse credendum.
Quamvis enim raptim, quamvis celerrimè
credendi voluntatem quædam cogitationes
antevolent, moxq; illa sequatur, ut quasi
conjunctissima comitetur: necesse est tamen,
ut omnia, quæ creduntur, præveniēte cogita-
zione credantur; quanquam & ipsum cre-
dere

dere nihil aliud est, quàm CUM ASSEN-
 SIONE COGITARE. Non enim omnis
 qui cogitat, credit, cum ideò cogitent ple-
 riq³, ne credant: sed cogitat omnis, qui cre-
 dit, & credendo cogitat, & cogitando cre-
 dit. Inde infert: Quod ergò pertinet ad
 religionem atq³ pietatem, de qua loqueba-
 tur Apostol⁹: Si nō sum⁹ idonei cogitare ali-
 quid, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia
 nostra ex Deo est: profectò non sumus ido-
 nei credere aliquid quasi ex nobismetipsis,
 quod sine cogitatione nō possumus, sed suffi-
 ciētia nostra, quā credere incipim⁹, ex Deo
 est & c. vide plura ib. Hujus rei rationem
 explicat Apostolus in I. Cor. II, 14. quod
 ea, quæ Spiritus sunt, dijudicentur πνευ-
 ματικῶς Spiritualiter: homini au-
 tem animali, ex se, non aliud nisi natu-
 rale competit iudicium, quo iudicio si
 res Spiritualis esset determinanda; Dei
 sapientia, tanquam stultitia, esset con-
 temnenda: ut à sapientibus hujus seculi
 fieri solet. Quod ipsum etiam inten-
 dit Propheta Esaias c, VI, 9. 10. Judaici
 populi cæcitatem ita prædicens: audien-
 do audietis, & non intelligetis, & videndo
 videtis, & non cognoscetis & c. quibus
 significare vult, futurum esse, ut Judæi
 tempore exhibiti Messiaë auribus perci-

piant prædicationem Evangelii, & oculis videant ejus miracula; & tamen, præmentis excæcatione & malitia, non intelligant (non quidem dictorum sensum: hūc n. intelligebant; sed) rē ipsam, cum vero & recto assensu, quod impletum esse ipso eventu, docet Christus *Matth. XIII, 14. Marc. IV, 12. Luc. VIII, 10. Job. XIII, 20. & Paulus Act. XXII, 26. Rom. XII, 8.* Hinc benè *Decl. Form. Conc. de lib. arb. p. 662.* *Etsi enim locomotivam potentiam, seu externa membra regere, Evangelium audire, & aliquo modo MEDI-TARI, atq; etiam de eo DISSERERE potest; ut in Phariseis & hypocritis est videre: tamē id tacitis cogitationibus, ut REM STULTAM spernit, neq; CREDERE potest.* De hoc intelligenda etiam verba *Form. Conc. supra §. IIX.* citata, quod homines ingeniosissimi quoque & doctissimi, ex propriis viribus, Evangelion non possint (salutari assensu) percipere, intelligere, credere, & verum esse statuere.

*Accōmo-
datio ad
objectio-
nem.*

§. XVI. Quibus ita stantibus, ad objectionem respondemus, negando consequentiam, ob disparitatem. In rebus naturalibus & aliis, rationi subje-
ctis.

Etis, verum est: cum de rebus subtilibus
 claras legis & perspicuas disputationes,
 cum verba verborumque sensum intel-
 ligis; citra Spiritus S. specialem gratiam
 tuis viribus, quamvis sæpè cum labore,
 potes ad rectum assensum penetrare:
 quando scilicet nature lumen rationes
 suppeditat efficaces, quibus ad assensum
 movearis: secus in rebus spiritualibus.
 Illa dijudicantur *πνευμαλινῶς*, h. e. judi-
 cium, ad assensum requisitum, non ex
 nature lumine, cui illa, quando per ver-
 bum proponuntur, teste Apostolo, stul-
 titia sunt, depromi potest; sed totum id
πνευμαλινόν, & supernaturale est, à spe-
 ciali Spiritus S. gratia dependens.

§. XVII. Instas? Intellectus est *Exceptio*
 potentia necessaria, seu ad unum deter- *ad respon-*
 minata, quæ non potest vero cognito *sionem.*
 assensum non præbere: sicut à falso ne-
 cessariò dissentit. Jam verò verbum per-
 spicuum & clarum quodlibet potest ob-
 jectum intellectui sufficienter propone-
 re, ut in ejus perceptionem, sine specia-
 li gratia, devenire inde queat. Ergò &
 verbū Dei, quod, quoad fidei mysteria,
 perspicuum esse statuimus, ad id suffice-
 re potest: & consequenter, præter id, in

B 3 se,

se, ut verbum auribus vel oculis perceptibile, consideratum, speciali gratiâ, cum verbo operante, opus non erit.

*Resp. ad
exceptionē
datam.*

§. XVIII. Resp. distinctè hic procedendum esse. Quod dicitur, intellectum esse potentiam necessariam, verū est de actu intelligendi. Positis omnibus ad intelligendum requisitis, non potest non intelligere: sicut potentia visiva, positis omnibus ad videndum requisitis necessariò videt. Sed de actu assentiendi vel dissentendi simpliciter verum non est. Quod ut intelligas, notandum: ad id, ut intellectus necessite- tur ad assensum, præter objecti apprehensionem, requiri etiam evidentiam cognitionis. Cum cognitio evidens non est, sed probabilis, obscura, incerta; intellectus ad assensum nequaquam necessitatur; sed vel suspendit eum, vel saltem assentitur cum metu contradictionis; ita ut, cum certio- rem & clario- rem, in alteram partem, cognitionem assequitur, priori assensu misso, possit assentiri cognitioni contrariæ. In ordine enim ad hos actus intellectus liber est, sed extrinsecè tantum, quatenus
libe-

libero voluntatis imperio subest, & ab eo dependet.

Verbum itaq; quodlibet, ut ad objectionis solutionem propriè accedam, clarum & perspicuum, in se & naturali sua indole habet hoc, ut intellectui repræsentet objectum; quod concedo: sed ut nostra cognitio circa objectum sit evidēs; id verbū, quā tale præstare nō potest. Aliās cū verbū clarū & perspicuum possit haberi etiā de re nō evidēte evidēter possent à nobis cognosci, q̄ evidētia nobis non sunt: quod absurdum. Perinde cum verbo Dei, quantum ad hoc, res sese habet. Verbum Dei esse clarum & perspicuū, quoad ea, quæ homini Christiano creditu factuq̄ue necessaria sunt, nobis indubium. Dubium nec hoc: quod in se, & naturali sua indole, aptum sit, ut intellectui repræsentet objectum, spirituale, res scil. credendas: ut autem objectum repræsentatum, (intellige res, quæ fidei propriè sunt, de quibus jam loquimur) intellectus noster cognoscat evidenter, & citra Spiritus Sancti operationem ad assensum determinetur, vel etiam necessitetur; hoc verbum Dei, ut est verbum, auribus vel oculis perceptibile.

B § **bile**

bile, (ita enim considerat illud ob-
 ctio) nequaquam habet: sed res, intelle-
 ctui non renato etiam per clarissima
 verba representata, ita est obscura, ut is,
 ad eam comparatus, secundum Pauli
 doctrinam, *tenebrae* sit, neque ex se quic-
 quam virium ad assensum se determinā-
 di habeat: *stultitia ei sunt, non potest co-
 gnoscere*, (salutari assensu) ut supra au-
 divimus: cū legit Scripturam, ejus cordi,
 non secus ac Judæorū, Molen legentiū,
 cordibus II. Cor. III, 14. 15. *velamen im-
 positum est, quod non aboletur nisi per
 Christum*: adeoque ab altiori principio,
 scil. speciali Spiritus Sancti gratia, cum
 verbo & per verbum operante, & men-
 tem illuminante; ut, quæ erat *tenebrae*,
lux fiat in Christo, Eph. V. 8. voluntatem,
 & consequenter intellectum, ad assen-
 sum moveri & flecti oportet.

*Duplex
 verbi Dei
 effectus.*

Unde Verbo Dei, quantum ad
 hoc, duplicem adscribimus effectum.
 Unus, quem cum alio verbo habet com-
 munem, est intellectum in rei significa-
 tæ perceptionem deducere: & ad hoc
 sufficit verbi perspicuitas, quam adver-
 sus Pontificios præsertim propugna-
 mus. Alter est, intellectum determinare
 ad

ad assensum, quod aliàs, cum cognitio evidens est, ab objecto; in mysteriis fidei autem, cum evidentia defit, à Spiritus S. supernaturali, quæ verbo conjuncta est, operatione dependet.

Sed quod dixi de cognitionis nostræ evidentia & inevidentia, dextrè intelligendum est. *Evidentia est quedam claritas & lux, quâ intellectus ita distinctè & clarè cognoscit objectum, sicut oculus lucem & colorem, ut describit Hurt. de Mendoza Disput. VIII. de Anim. Sect. I. §. 1.* Hæc evidentia, ut patet, non consistit in orationis perspicuitate; quæ potest haberi de re tum evidente, tum inevidente: sed in clara & distincta ipsius objecti cognitione, qualis cognitio est, cum niverè esse albam oculis video, & ignè calidum esse, tactu percipio; aut cum hominem disciplinæ capacem esse, cognosco ex hoc principio per se noto, *homo est rationalis &c.* Dependet igitur illa ab objecto, cognitionem determinante: ut ita, cum dicitur, mysteria fidei non cognosci à nobis evidenter, non sensus sit: Scripturam, quæ fidei dogmata proponit, esse obscurâ; sed ipsa mysteria fidei, ob sublimitatem suam, non attingi à nostro intellectu per claram & distinctam

Quid sit evidentia cognitionis

*Lutheri
locus.*

etiam cognitionem, quamvis Scripturæ verba sint clarissima. Et hoc est, quod olim B. Lutherus *de Servo Arb.* scripsit: *Res DEI sunt OBSCURÆ, res Scripturæ sunt PERSPICUÆ*: hoc est, ut Gerhardus noster in *Disput. Isag. II. c. XIII. th. 3.* explicat: *mysteria fidei, in se & absolute considerata, sunt obscura: quia supra humane mentis captum sunt posita* (& sic neque sensibus, neque evidentibus rationibus clarè & distinctè cognosci à nobis possunt, sed solùm creduntur ob Dei revelatis autoritatem) *sed prout in Scripturis proponuntur, sunt satis perspicua, h. e. ipsa Scripturæ verba, quæ illa mysteria proponunt, satis clara & perspicua sunt.*

*Nova ob-
jectio.*

§. XIX. At, inquit quis, si inevidentia rerum mysticarum in causa est, quod intellectus hominis non renati nequeat iis assentiri: neque renati hominis intellectum assentiri iisdem posse. Ratio: quia illa inevidentia manet etiam respectu intellectus hominis renati: siquidem *cernimus nunc per speculum in enigmate, & cognoscimus ex parte I. Cor. XIII, 12.* Unde & fides dicitur esse *πραγμάτων & βλεπομένων, rerum, quæ non videntur, Ebr. XI, 1.*

§. XX.

§.XX. Resp. quod mysteria in
 Scripturis revelata etiam intellectui il- *Responsio.*
 luminato eo modo, ut expositum est,
 sint inevidētia, diffiteri nō possumus; &
 loca citata ex *I. Cor. XIII. Ebr. XI.* omni-
 nō probāt: imō per hoc fides nostra est
 fides, q̄ credit ea, quæ neq; sensibus per-
 cipi, neque evidentibus rationibus de-
 monstrari possunt. Unde in præceden-
 tibus non diximus: renati hominis in-
 tellectum credere ob evidentiam, quæ
 rebus credendis per Spiritus S. illumi-
 nationem accedat, sicut non-renati in-
 tellectus, ex se, non potest assentiri, ob
 objecti inevidentiam: sed totum id Spi-
 ritui S. adscripsimus, qui non solūm in-
 tellectum illuminat, ut, quantum suffi-
 cit, rem credendam cognoscat, sed et-
 iam voluntatem inclināt & flectit, ad
 imperandum intellectui assensum. Inde
 dicitur Deus *dare cor intelligens, oculos*
ad videndum, & aures ad audiendum.
Deut. XXIX, 4. cor ad cognoscendum Deū,
ut se ex toto corde convertant ad ipsum.
Jer. XXIV, 7.

§.XXI. Sed adhuc videtur obsta- *Obiectio*
 re; quod communis doctrina est: nos *alia.*
 mysteria fidei credere ob Dei revelan-
 tis

tis autoritatem, sub hoc notissimo prin-
 cipio: *Quicquid Deus dicit, illud infalli-*
biliter verum est: quod ipsa etiam natu-
 ra docet, & omnis Religio præsuppo-
 nit. Si jam Scripturam vel prorsus gen-
 tili, vel homini etiã, intra Ecclesiæ po-
 meria educato, propofueris, eumque
 eò adduxeris, ut credat, verbum hoc,
 in codice Biblico contentum, esse ver-
 bum ipsius Dei, fallere nescii, quod te-
 stimonio Ecclesiæ, & S. Martyrum, ut &
 aliis argumentis fieri consuevit: quid
 obstabit, quo minus, citra specialem
 Spiritus S. operationem, assentiri possit
 summis mysteriis, cum in sacro codice
 ea legit, vi naturalis hujus, & evidenter
 noti, principii; *Quicquid Deus dicit, in-*
fallibiliter verum est? admissis enim præ-
 missis, assensus circa conclusionem ne-
 cessarius est.

Solutio.

§. XXII. Resp. quod credamus
 mysteria, in Scripturis revelata, ob auto-
 ritatem Dei, mentiri vel fallere nescii,
 verissimum est. Sed quod additur, hu-
 manis mediis & viribus hominem
 non-renatum posse adduci, ut credat,
 hoc esse verbum Dei, quod in codice
 Biblico, (& quidem in libris Canonicis)

con-

continetur, haud simpliciter admittendum.

Dupliciter autem potest hoc intelligi: 1. De toto codice, libros Canonicos complectente. 2. De quolibet dogmate, in eo contento. Utrobiq; existimo, ad assensum immotum (de quo sermo est: nec enim de quacunque opinione jam agimus) media humana sufficere non posse, sed supernaturalem Dei gratiam, quæ voluntatem efficaciter moveat, requiri. Ratio, quia omnia, quæ afferri possunt, argumenta, tum ex ratione, tum à testantium auctoritate, petita, opinionem possunt quidem gignere humanam; sed fidem immotam & Divinam nequaquam. Nam quod attinet totam Scripturam; probabile certè apparet intellectui, etiam non renato, tam constans Ecclesiæ, latissimè patentis, testimonium fallax non esse, nec frustra tot Martyres sanguinem pro ea fide, quæ ipsa tradit, effudisse. Sed cū ad ipsa devenitur dogmata; & ea, utpote stulta rationi apparètia, leguntur, v.g. quod Redētor noster sit Deus & homo, & sit passus, mortuus, & sepultus &c. dubitationes tam validæ in homine, sibi relicto, surgunt,

ut

*Duplex
dubitatio-
nis sensus.*

*Resp. de
tota Scri-
ptura.*

ut contra totius Ecclesiæ, & omnium Martyrum, ut & miraculorum, testimonio-
nia, vel quæcunque alia humana, ad as-
sensum inducentia, argumenta afferri
possint, fluctuet; præsertim si tentatio-
nes & Diaboli suggestiones accedant.
Et posito, quod Divinam librorum sa-
crorum autoritatem non penitus neget;
ita tamen dubius hærebit, ut immotum
assensum, suis ex viribus, præbere non
valeat.

*Resp. si de
quolibet
mysterio
intelliga-
tur.*

Quando autem de singulis, in sa-
cro codice contentis, mysteriis quæri-
tur: similiter falsum est, citra Spiritus S.
specialem gratiam & operationem, pos-
se intellectum non renatum firmiter
credere, rem merè mysticā, quæ in Scri-
ptura proponitur, esse verbum Dei; et
iam supposito, quod liber, in quo habet-
tur, sit Divinus: quod probat experi-
entia. Photiniani, Arriani, Sabelliani ad-
mittunt, quod libri Evangelici Deum
habeant autorem, & mentiri vel fallere
non possint; & sic confusè norunt, quæ
in illis libris continentur, esse verbum
Dei. Sed cum ad specialia dogmata de
S. S. Trinitate, Christi incarnatione, &
alia similia descendunt, & distinctè hoc
myste-

mysterium, hoc sensu intellectum, verbum Dei esse credere debent, assensu ad eò destituuntur, ut ea prorsus negent esse verbum Dei. Causa non est Scripture obscuritas. Verba enim ita sunt clara, ut, quem gignant sensum, naturaliter queant intelligere; quod supra ostendimus: sed mentis cæcitas; quod putant, vel Deo indigna, vel impossibilia, vel alio modo absurda esse illa dogmata, ut pro verbo Dei haberi non possint, vel debeant: & sic Dei sapientiam, in verbo revelatam, stultitiam judicant, quippe quæ spiritualiter dijudicari debebat. Nec tamen per hoc in genere repudiant librorum sacrorum auctoritatem: sed circa distinctum verborum sensum dubii hærentes, à verbis discedunt, & negato vero sensu, alii hunc, alii alium excogitant, & sic fabricant inde dogmata, quæ suæ rationi convenientia sunt, adeoque Dei sapientiâ, in mysterio absconditâ, quam velut per speculum in ænigmate hic cernimus, & ex parte cognoscimus *I. Cor. XIII, 12.* repudiatâ, humanam sibi deligunt.

Quò pertinet, quod Gentium Doctor gratiæ Dei adscribit, quod Thessa-
 C loni.

*humane
 mentis cæ-
 citas.*

Ionicensis sermonem ab Apostolis acceperint, non ut sermonem hominum, sed ut sermonem Dei, & ob id Deo gratias agit sine intermissione, ut legimus in I. Thes. II, 13. de quo pulchrè Augustinus de *Præd. Sanct.* c. XIX. *Quid, inquit, est, quod hinc Deo gratias agit? Nempe vanum est atq; inane, si cui gratias agit, quod ipse non fecit: sed quia hoc vanum & inane non est, profectò Deus, cui de hoc opere gratias agit, ipse fecit, ut, cum percepissent ab Apostolo verbum auditus Dei, exciperent illud, non ut verbū hominum, sed, sicut est verè, verbum Dei. Deus igitur operatur in cordibus hominum, vocatione illà secundum propositum, ut non inaniter audiant Evangelium, sed, eo audito, convertantur & credant, excipientes, non ut verbum hominum, sed, sicut est verè, verbum Dei.*

De voluntatis cœcavitatis ex mentis cœcitate constat.

§. XXIII. Probato, in intellectu hominis non-renati, ad bonum Spirituale, nullas vires esse reliquas, ultrò patet, quid de voluntate sentiendum sit. Ejus enim, quia per se potentia cæca est, nec cognoscendi vi propriâ pollet, ullâ, sed intellectus cognitionem sequitur, conditio melior esse non potest. Et memorabile est, quod Spiritus S. in hominis

minis

minis corrupti statu depingendo, ita
 conjungit voluntatis malitiam cum
 mentis cæcitate, ut hanc illius causam
 esse significet. Ita enim Ephes. IV, 18. de-
 scribuntur gentiles, quod sint ἐσκοτισμέ- *Homo nō-*
 νοι τῆ διανοία, ὄντες ἀπηλωτωμένοι τῆς *renato ab-*
 ζωῆς ἔδεῶ, ἀπὸ τῆ ἀγνοίας τῆ ἴσταν ἐν *alienatus*
 αὐτοῖς, i.e. obtenebrati mente, abalienati à *à vita Dei.*
vita Dei, PROPTER IGNORANTIAM,
quæ est in illis.

Quod dicuntur ἀπηλωτωμένοι
 τῆς ζωῆς ἔδεῶ, abalienati à vita Dei, ad
 voluntatē, quæ præcipuè est principiū a-
 ctionū & vitæ, à Deo alienæ, referimus.
 Sed causā, quod volūtas, & sic vita, à vo-
 luntate dependens, à vita Spiritualī ab-
 fit, tribuit Apostolus ignorantiaē men-
 tis: dicuntur enim abalienati, *PROPTER*
IGNORANTIAM, quæ est in ipsis.

Neque hoc solum docet Scriptura, *Mortuus in*
 sed addit insuper ex eadem ad Ephes. *peccatis.*
Epistola c. II, 1. ἔ 5. ut & Coloss. II, 13.
 quod (ante regenerationis statum) si-
 mus νεκροὶ τοῖς ἔργοις καὶ τοῖς ἀ-
 μαρτίαις *mortui in delictis & peccatis.* Vita,
 cui mors à Paulo opponitur, consistit in
 actionibus Spiritualibus, & non tantum
 intellectus illuminati bonas cogitatio-

nes, sed etiam, & potissimum, voluntatis
 & affectuum rectitudinem complecti-
 tur, ut Spirituale bonum, sicut (ex Spiri-
 tus S. illuminatione) cognoscimus, ita
 in vita etiam exequamur, eodem ope-
 rante Spiritu, juxta illud Ephes. V, 7. *E-*
ratis olim tenebræ: nunc autem LUX IN
DOMINO, ut FILII LUCIS ambulate.
 Mors verò contra importat carentiam
 vitæ Spiritualis, & utramque faculta-
 tem, intellectum & voluntatem, viribus,
 ad Spiritualem vitam exercendam re-
 quisitis, privat. Inde fit, ut omnesambu-
 lent *juxta seculum mundi hujus, in concu-*
piscentiis carnis, & naturâ sint filii iræ Eph.
 II, 2.3 *Et ne unus quidem justus: omnes e-*
nim deflexerunt, simul inutiles facti: non
est, qui exerceat bonum, ne unus quidem.
Rom. III, 10. 12. ex Psal. XIV. Quæ causa
 est, cur Apostolus hominis non renati,
 quem in peccatis mortuum dicit, vo-
 luntatem vocet τὸ θέλημα τῆς σαρκός, *vo-*
luntatem carnis: Ephes. II, 3. quia scilicet,
 ex se & per se, in appetendo non aliter
 potest, (loquor de necessitate specifica-
 tionis) quàm ut tum affectuum carnali-
 um ductum, tum rationis, in rebus Spi-
 ritualibus cæcæ, & carnalia sapientis,
 car-

carnale sequatur iudicium, in quo consistit vita κατὰ τὸν αἰῶνα & νόστος τῆς juxta seculum hujus mundi v. 2. Quò pertinet, quod homo carnalis, in quo est emulatio, & contentio, & factiones, dicatur καὶ ἀνθρώπου περιπατεῖν secundum hominem incedere: quod est, eo vivere modo, quo hominis corrupta natura fert, I. Cor. III. 3.

Obiectio.

§. XXIV. Dicis? vera esse hæc, si de iis loquaris, qui omni gratiâ & auxilio Dei destituuntur. Quibus verò tantum gratiæ obtigit, ut objectum Spirituale cognoverint tanquam bonum; annon tunc voluntati ex se concedendæ sint vires aliquæ, ad Spirituale bonum, cognitum ut bonum, appetendum? Pro affirmativa militat, quod ad hoc, ut voluntas ferri in bonum, idque velle possit, nihil requiri videatur aliud, quàm ut objecti bonitas ab intellectu fuerit cognita, & voluntati exhibita.

Ita sensisse videtur Strigelius in *Disp. advers. Flac. Vinariæ habita, ses. II. p.* Strigelius
 29. Nihil, inquit, tribuo libero arbitrio contra illine gratia & auxilio, non tribuo initium lyricum.
 conversionis ad Deum nostris viribus, sed efero ad Spiritum S. & verbum. CUM

C 3 MENS

MENS ILLUSTRATUR verbo Divino, tum aliter se res habet, quàm quando loquor de homine prorsus animali, qui solo arbitrio regitur, sine Spiritu S. & in quo non est inchoatio conversionis. Et quando *sess. IV.* contra Illyricum ita argumentatur: *Omnis gubernatio aut fit persuasione, aut coactione: nec potest dari medium inter hæc duo extrema, sicut nec inter naturale agens, & agens liberũ. Sed voluntas non potest cogi. Ergo voluntas persuadendo, id est, ostensione alicujus boni vel mali, flectitur ad obediendum & obtemperandum Evangelio, non coacta, sed aliquo modo volens &c.* En! voluntatis flexionem dicit *Strigelius* fieri persuadendo, id est, ostensione alicujus boni vel mali: quo ipso gratiæ Dei nihil amplius tribuit, quàm quod bonum spirituale in verbo proponat intellectui: quo cognito, voluntas deinde id appetat ex se, non secus, ac bonum civile.

Solutio.

S. XXV. Hæc sanè difficultas est, quæ diu torfit *Synergistas*, & in sequiorem partem, à *Formula Concord.* post damnatam, rapuit. Quomodo solvenda sit, dispiciendum est.

Et

Et quidem quod dicitur, ad hoc, ut voluntas possit persequi & appetere objectum, requiri aliud nihil, quàm ut bonitas ejus ab intellectu sit cognita, & voluntati exhibita; in rebus, rationi subiectis, universaliter verum non est: nedum in Spiritualibus.

Ad ostendendum, hoc: præsuppono.

I. Voluntatem, quod ad præfens attinet, circa objectum, cognitum ut bonum, dupliciter se habere posse:

1. Ut fertur in illud secundum se, & non ut acquirendum aut faciendum, quæ vocatur *voluntas simplicis complacentiæ*; item *voluntas inefficax*. 2. Ut in illud tendit, non secundum se tantum; sed ut acquirendum, aut faciendum; quæ dicitur *voluntas efficax*.

Præsupposita.

Voluntas complacentiæ.

Voluntas efficax.

II. Res Spirituales æquè, ut alia objecta, cognosci ab intellectu vel *confusè*, & sub universali ratione tantum: vel *distinctè*, & in particulari: v. g. esse aliquam beatitudinem æternam, & esse aliqua media, quibus ad eam pervenire queamus, est confusa cognitio. In hoc autem, scilicet in visione Dei, eam consistere, neque aliis mediis, quàm per meritum Christi, fide apprehensum, obti-

Cognitio confusa & distincta.

neri à nobis posse, distincta cognitio est.

*Resp. per
assertiones*

§. XXVI. Quibus præmissis, ad dubitationem, §. XXIV. propositam, respondemus distinctè :

I. Circa objectum Spirituale, cognitum ut bonū, sive confusè sive distinctè, potest voluntas naturaliter habere actum simplicis complacentiæ.

Et de hoc verum est, quod in objectione dicitur, ut voluntas possit velle, requiri aliud nihil, quàm ut objecti bonitas ab intellectu fuerit cognita, & voluntati exhibita, adeò ut Aristoteles *L. III. Ethic. Nic. c. II.* voluntatem etiam impossibiliū esse, rectè doceat: accidit quippe non rarò, ut hominis cogitationes ferantur in rem, sibi impossibilem, v.g. in Angelum converti, supra solem esse, & digitis eum attingere, facta reddere infecta &c. quæ quamvis cognoscantur, in nostra potestate nō esse; animum tamē alicuā delectatione & amore detinere possunt. Nihil autem in eiusmodi objecto invenire licet, à quo ista delectatio sit, nisi quod aliquam commoditatem, & bonum aliquod in eo

eo

eo intellectus consideravit: neque quicquam, à parte volūtatī, ostendi potest, nisi quod ejo natura talis sit, ut circa bonum quodlibet, cognitū ut bonū, possit per se aliquem complacentiæ actum habere. Ergò sola cognitio boni, ad actum complacentiæ, voluntati sufficere potest. Et huc pertinet, quod Herodes Johannem audivit ἠδίστως *Marc. VI, 20.* Agrippa Rex voluit Paulum audire *Act. XXV, 22.* & cum audisset, respondit Paulo: *Modica ex parte persuades mihi, ut sim Christianus, c. XXVI, 28.* &c quæ haud obscure aliquam complacentiam, circa res Spirituales, in non renatis ostendūt. Neque enim Herodes Johannem libenter; neque Agrippas Paulum tam patienter & cum desiderio audivisset, nisi eorū doctrinā quodammodo delectatū fuissent: quorum tamen neuter regeneratus erat.

II. *Circa bonum Spirituale, confusè tantū, & sub universalis boni ratione cognitum, potest voluntas naturaliter habere actum amoris etiam efficacem.*

Israel enim sectabatur legem justitiæ Rom. IX, 31. & Ζῆλον Θεῶν studium vel Zelum Dei habebat, c. X, 2. Justitia Dei, &

C 5

stu

Affertio II.

studium Dei aliàs ad classem rerum Spiritu-
 alium pertinet: sectari legem justi-
 tiæ, studium Dei habere, in Judæis sunt
 actus voluntatis efficaces: sed circa res
 Spirituales tantùm confusè cognitæ,
 Noverant quippe, sed confusè, esse ali-
 quam beatitudinem futuram, esse ali-
 quam justitiam Dei: ignorabant au-
 tem, in quo vita beata distinctè confi-
 steret, & quænam esset illa Dei justitia.
 Unde est, quod addit Paulus: Israel, qui
 sectabatur legem justitiæ, *ad legem justi-
 tiæ non pervenit. Propter quid? Quia non
 ex fide, sed tantùm ex operibus legis: impe-
 gerunt enim in lapidem offensionis. Rom.
 IX, 31 32.* Et Zelum Dei habebant, *sed
 non secundum scientiam. Nam ignorantes
 Dei justitiam, & propriam justitiam qua-
 rentes constituere, justitiæ Dei non fuerunt
 subditi c. X, 2. 3.* Simile accidere circa
 beatitudinem civilem, pulchrè ostendit
 Philosophus *lib. I. Eth. Nic. c. IV.* cum quo
 confer Augustinum *lib. XIII. de Trin. c.
 IV. & V.* eruditissimè de hisce differen-
 tem.

Sed nec in hac cōfusa rerū Spiritu-
 alium cognitione; ut nec in simplici
 complacentia, vel etiã in actu volunta-
 tis

tis

ris efficaci circa eas, ut confusè cognitas, consistit nostra fides, vel conversio: quippe quæ respicit res Spirituales distinctè, in unico Christi meritò, extra quem salus nulla, *Act. IV, 12.* obtinendas. Unde noster Chemnitius *part. I. Loc. Comm. de Lib. arb. c: VI. grad. I. fol. m. 196.* istos actus inter actiones externæ disciplinæ refert. *In mentem, inquit, revocanda est distinctio inter actiones externæ disciplinæ, & motus Spirituales. Et hoc loco illustris est differentia de cogitationibus non renatorū, in illis, quæ ad Deum pertinent. Rom. 2, 21. Vani facti sunt in cogitationibus suis: cū putarent, se sapienter cogitasse, stulti facti sunt 2. Corint. 3, 14. Legunt quidem: sed velamen positum est super corda eorum: & illud velamen non auferitur, nisi per Christū Matth. 13, 14. Audientes nō intelligunt. Deut. 29, 4. Videntes non vident Rom. 11, 8. Quod Israel non tantum studio, sed Zelo quærit; non assequitur, imò excæcatur. Habet ergò caro cogitationes de Deo; sed illæ non sunt initium conversionis: sed sequitur mens reproba Rom. 1, 28. Habet studium, conatq, imò Zelum Dei: sed de illis non dicitur: tantum velis, & Deus præoccurrit: sed sequitur excæcatio*

excæcatio

cæcatio Rom. it, 8. Neque aliud docet D. Ægid. Hunniq de lib. arb. qui, postquam multis & Scripturæ dictis, & exemplis demonstrâsset; aliquod studium & conatum non-renatis etiam concedendum esse, in reb9, ad conversionem pertinentibus, quod sit ex naturæ viribus; subjungit: Συνεργία voluntatis, seu arbitrii humani libertas tantisper non asseritur, quantisper non confunduntur limites externa pedagogiæ, & interne gratiæ, seu Spirituales operationis: id est, quamdiu non commiscetur externus ille cursus: (cujusmodi Herodi, Paulo, Sergio, Judæis, ante vel extra regenerationis gratiam tribuitur) & deinde donum Spirituale, salutaris cognitio &c. Cujus initium, incrementum, & ad finem usq; conservatio, Spiritui Sancto in solidum fertur acceptum: ideoq; solis his adscribitur, qui virtute Spiritus Sancti regenerati sunt. De his igitur si loquatur dubitatio, concedere possumus, voluntatem posse naturaliter quodam, eo scilicet, quo jam exposuimus, modo appetere res spirituales, ex verbo Dei, tanquam bonas, cognititas. Sed id ad præsens, cum de internis, verè bonis & Spiritualibus motibus, quibus conversio

no-

nostra propriè inchoatur & perficitur, sermo nobis est, nihil facit.

III. *Circa bonum merè Spirituale, in particulari & distinctè cognitum, voluntas naturaliter actum efficacem habere nequit: seu, nequit naturaliter in illud ferri, ut acquirendum.* Assertio
III,

In hujus assertionis veritate omnia, quoad præsentem dubitationem, sita sunt, quæ propterea diligentius explicanda. Omnium autem primò constare debet: fieri posse, ut voluntas actum simplicis complacentiæ habeat, circa bonum particulare, distinctè cognitum; & tamen efficaciter id velle nequeat. Hujus rei illustri exemplo sunt illi, qui, pravâ consuetudine & actionibus, habitum sibi contraxerunt. Dubium non est, quin homini, vitiis deditissimo, virtutis alicujus bonitas explicari, & argumentis svaderi possit; ut rationem boni in particulari & distinctè percipiat, & etiam aliquâ delectatione seu complacentiâ afficiatur: nec tamen circa illud actum efficacem statim habere potest. *Nam verba, doctrina, & præcepta possunt quidem liberalia ingenia cohortari, & excitare, & benè nata, & honestatis aman-*
tia

tia ingenia admirabili quodam amore virtutis inflammare : at reliquos, qui sunt multò plurimi, ἀδύνατον πρὸς καλοκαγαθίαν πρὸς τρέψασθαι, non possunt ad virtutem impellere. Horum enim natura est, ut non pudore pareant legibus, sed metu, (ὅτι πεφύκασιν ἢ ἀπὸ τῆς φύσεως ἢ ἀπὸ τῆς παιδείας) neque à pravis abstineant propter dedecus, sed metu pœnarum, inquit Philosopho L. X Nic. c. IX. quibus satis apertè actum efficacem voluntati quorundam detrahit, quoad bona particularia, cognita ut bona; cum dicat: quod non possint ad virtutem oratione impelli; quasi naturâ inepti sint &c.

His adde L. III. c. V. locum valdè perspicuum: *Neque enim talis, (improbus) si velit, (voluntate complacentiæ) desinet esse injustus, ac justus fiet. Nam ne ager quidem sanus ac validus efficiatur, cum velit; si vel maximè sponte suâ morbum contraxerit: quippe qui ἔστιν incontinenter vivebat, ἔστιν medicorum præcepta ἔστιν consilium asperrabatur. Tunc quidem igitur ei licebat in morbum non incidere. At posteaquam sese projecit, id jam desit esse integrum. Quemadmodum nec is, qui lapidem misit, retrahere eum jam potest; qui tamen*

erat

erat in ejus potestate; nempe in manum eum
 sumere, ac jacere. Principium enim in ipso
 est. Sic & injusto & intemperanti homini
 ab initio licebat, talem non esse. Id circò suâ
 voluntate tales sunt: posteaquam verò ta-
 les facti sunt, non possunt non esse. En! ante
 contractum vitiorum habitum, virtutes
 sunt in hominis potestate: πεφυκόσσι
 μὲν ἠμῶν δὲ ἔα δαυ αὐτῶν, h. e. insunt nobis
 tanquam aptis natis ad suscipiendas eas.

Sed post habitum vitii contra-
 ctum virtus in hominis potestate am-
 plius non est: voluntas enim à vitioso
 habitu ad malum ita determinatur, ut
 ad bonum assurgere, & efficaciter id vel-
 le nō valeat: ut meritò Aristoteles citato
 L. X. Nic. c. ult. dicat: eos, qui tales sunt,
 ad moderationem traducere, quæ oratio
 posset? fieri enim nequit, aut facile non est,
 ut quæ ex diutino usu moribus sunt præoc-
 cupata, verbis amoveantur. Quod si quoad
 res civiles, in quib. aliquales vires natu-
 ra homini gcesserat, voluntas ita potest
 inepta reddi, per aliquam malitiam,
 sponte contractam, ut nullis persuasio-
 nibus queat flecti, ad bonum cognitum
 efficaciter appetendum: quantò magis
 ob connatam originis malitiam: cujus ra-
 tione

tione

rione homo planè mortuus est, ad res
 Spirituales, verum erit; quod voluntas,
 ex se, nō possit efficaciter velle rem me-
 rē Spiritualem, ut talis in particulari
 cognita est? Cui accedit etiam actualis
 malitia: quam contrahimus, quando
 vivimus (sicut ex nobis non aliter possu-
 mus) κατ' ἀνθρώπων secundum hominem,
 I. Cor. III, 3. ἐν ματαιότητι τοῦ νοῦς in vani-
 tate mentis Ephes. IV, 17. Ἔτι ἐπὶ τῆς γῆς
 seu terrestria sectamur Col. III, 2. ut ita
 omne figmentum cogitationum cordis tan-
 tum malum (sit) omni die Gen. VI, 5. Ἔ c.
 VIII, 21. Quæ à peccato originis ceu fon-
 te fluunt, & efficiunt cor lapideum Ezech.
 XI, 19. c. XXXVI, 26. Ἔ quib9 homo, à pu-
 eritiā statim perversè vivens, callum
 sibi quasi obducit, ut præ cordis duritie
 verbo, ad bonū spirituale hortanti, ob-
 temperare haud queat, nisi Spiritu, per
 verbum operante, emolliatur, & lapi-
 deum vertatur in carneum: quod Deus se
 in suis Israelitis convertendis facturum
 d. l. promittebat; & etiamnum efficit in
 omnibus, quotquot convertuntur.

Strigelii
 error re-
 futatur.

Unde in hoc crassè hallucinatur
 Strigelius, qui Spiritus S. operationē in
 hominis conversione aliam non agno-
 scit,

scit, quàm quæ fiat per *svasionem moralem*, quâ voluntas, ostensione alicujus boni vel mali, *flectitur ad obediendum & obtemperandum Evangelio*, ut ille loquitur. Sanè voluntatem non cogi posse, quoad actus elicitos, utravis manu largimur; nec dicimus, conversionem fieri per *coactionem*. Sed ex eo non statim sequitur, quod conversio tantùm *svasione morali* peragatur, quæ longè infirmior est, quàm ut *cor lapideum*, voluntatem obstinatam, & in rebus terrenis quasi submersam, queat emollire, & ad spiritualia bona appetenda flectere. Quid ergò? Arbitramur tertium dari inter *coactionem*, & merè *moralem svasionem*, secus ac Strigelius opinatur, inquiens: *non potest dari medium inter hæc duo extrema, sicut nec inter naturale agens, & agens liberum*. Medium illud est *actualis Spir. S. operatio*, quæ consistit non tantùm *in boni ostensione per verbum*, sed etiam *in motione & flexione*, longè efficaciori, quàm quæ à nudâ bonitatis ostensione, & *svasione morali*, depēdere possit; q̄ nō est *coactio*, neq; actio purè *moralis*, quāvis forsā aliqd morali actioni ἀνάλογον. Et hæc est illa *excellens magnitudo*

Datur tertium inter coactionē & svasionem moralem.

D tudo

*tudo potentia Divinae in nos, qui credimus,
 secundum efficaciam roboris fortitudinis
 ejus, Eph. I 19. quâ Deus nostra corda emol-
 lit 2. Par XXXIV, 27. aperit, Act. XVI, 14.
 circumcidit Deut. XXX, 6. conterit Psal.
 LI, 9. auferit cor lapideum, & cor novum
 dat, dat Spiritum novum. Ezech. XI, 19. c.
 XXXVI 26. corda fide purificat Act. XV,
 9. Cor mundum creat, Ps. LI, 12. adeoq; in
 nobis efficit & velle & perficere Phil. II, 13.*

§. XXVII. Strigelius in Disp. Vi-

*Strigelii
 ratio con-
 futatur.*

nar. d. I. urget, quod in gubernatione
 Politica inter coactionem & svasionem
 moralē tertiū nō detur; & inde colligit,
 neq; in Spirituali hominis conversione
 tertiū agēdi modū haberī posse: Sed hoc
 lubricū est. Nā in Politica gubernatione
 principiū agens, & subditos ad bonū im-
 pellēs, est homo, sive magistratus sit, sive
 aliq; cui in alterius voluntatē nō cōpetit
 immediata actio. Unde ad bonum ad-
 ducere neminem potest, nisi vel ostensi-
 one boni, & sic svadēdo; vel pœnæ irro-
 gatione, & sic cogendo. Deus autem, in
 quo vivimus, movemur, & sumus Act.
 XVII, 28. quiq; portat omnia verbo virtu-
 tis suæ, Ebr. I, 3. immediatē agere potest in
 hominis voluntatem, & sic modo effi-
 caci-

caciori, quàm merâ svasione morali so-
let fieri. Atque ita satisfactum esse arbi-
tratur difficultati, superius motæ.

§. XXVIII. Cum igitur constet, *Solius Deû*
vires homini non-renato nullas planè *est nostra*
reliquas esse, ad sui conversionem Spi- *conversio.*
ritualem: consequens est, totum illud,
quod in conversione, ad *Spiritualiter be-*
nè assentiri ac velle, requiritur, tum à par-
te intellectus, tum à parte voluntatis,
non hominis, sed *solius Dei esse*, quod
pulchrè docet *Decl. Form. Conc. p. 663.* In-
de est, quod Deus, ut etiam paulò ante
vidimus, promittit *dare cor novum, &*
Spiritum novum, & amovere cor lapideum
è carne nostra, & dare cor carneum &c. E-
zech. XXXVI, 26. dare pœnitentiam Israël
Act. V, 31. dare pœnitentiam eis ἐπιγνωσιν
τῆς ἀληθείας II. Tim. II, 25. circumcidere
corda ad diligendum Deum, toto corde &
tota anima Deut. XXX, 6. Hinc vox illa
Pauli Phil. I, 29. *Vobis ἐχαρίσθη GRATIS*
DATUM est pro Christo, non solum ut in-
eum CREDATIS, verùm etiam, ut pro illo
patiamini. Ephes II, 8. *Gratiâ estis salvati*
per fidem: & hoc NON EX VOBIS, DEI
DONUM est. v. 10. *Ipsius (DEI) πόνημα*
opus sumus, conditi in Christo Jesu ad bo-

D 2 na

na opera. Et *Phil. II, 13.* Deus utrumquē dicitur in nobis operari pro suo beneplacito, τὸ θέλει καὶ τὸ ἐνεργεῖν & *velle & perficere.*

Homo in conversione habet se purè passivè.

§. XXIX. Ex quo porrò fluit, hominem, in sui conversione, sese habere purè passivè, donec viribus, ad agendum requisitis, à Spiritu S. donatus fuerit: quâ de re, cum olim in Ecclesia acriter dimicatum esse experiamur, sententia genuina paulò uberius declaranda est.

Voluntatis duplex consideratio in conversione.

§. XXX. Sciendum igitur, hominis convertendi voluntatem dupliciter se habere: I. in ordine ad Spiritus S. gratiam & operationem, quæ ipsam novis viribus Spiritualibus instruit. II. in ordine ad actus, qui subsequuntur illas vires acceptas, & sunt credere, velle, amare Deum, odisse malum, &c. Priori modo voluntas sese habet purè passivè, intellige in ordine & oppositione ad vim benè agendi: & sensus est; quod quando Spiritus S. per verbum agit in voluntatem, ut ei facultatem Spiritualem, quæ per lapsum primorum parentum prorsus amissa est, restituat, voluntas, ex se, nihil possit cooperari.

Quo sensu se purè passivè habeat.

Non

Non autem excludimus luctam voluntatis corruptæ, adverso Spiritum, quæ quidem actio quædam est, sed resistens Spiritui, non cooperans, quæ non impedit, quo minus voluntas, modo jã dicto, *purè passivè* se habeat. Sicut enim in actione Physica, v. g. in calefactione aquæ, aqua, in quantum non habet vires ad calorem in se producendum, sed ab igne tantum recipit, dicitur *purè passivè* se habere, & tamè, quando ratione suæ frigiditatis resistit introductioni caloris, & in igne rursu agit, *activè* se habet, sed ad alium effectum, scilicet ad frige-factionem, quam causare nititur in igne: ita voluntas, quæ ob peccatum ad omne malum propendet, & Spiritui, ad bonum eam flectenti & determinati, reluctatur, *activè* se quidem habet; verum non ad conversionis productionem, sed ad ejus remotionem & impedimentum.

Posteriori modo (vid. in ordine ad actus, subsequentes gratiam) *activè* se habet voluntas, & operatur cum Spiritu S. etiam quoad actuum esse Spirituale. Verum, quod notandum, *non ex suis, sed ex Spiritus S. viribus*, ut ita principium,

D 3 Quod

In resistendo habet se voluntas activè.

Simile ab actione Physica.

Voluntas in exercitio actuū habet se activè.

Quod credit, vult, diligit &c. fit homo, vel voluntas, sed principium Quo, scilicet vires, ex quibus se determinat voluntas ad objectum Spirituale, seu ad hunc actum, Spiritualiter bonum, non ab hominis natura, sed ex speciali gratia Spiritus S. in solidum dependeant.

*Uberior
declaratio
ex Chem-
nitio.*

*Gratie di-
stinctio.*

§. XXXI. Ut rectè hoc intelligas, observa ex B. Chemnitio *part. 1. L. C. de lib. arb. c. VII.* quod conversio non fit talis mutatio, quæ uno momento statim omnibus suis partibus absolvitur & perficitur: sed habeat sua initia suos progressus, quibus in magna infirmitate perficitur. Quò respexerunt Theologi, ex Augustino gratiam convertentem distinguentes in *prævenientem, preparantem, operantem, & cooperantem*; non quod diversæ species gratiæ Divinæ sint, sed quod unius gratiæ gradus, quantum ad agendi modum, sint diversi. Et quæ de gratia *præveniente, preparante & operante traduntur, habent hunc sensum: quod non nostræ partes priores sint in conversione; sed quod Deus per verbum & afflatum Divinum nos præveniat, movens & impellens voluntatem. Post hunc autem motum voluntatis, divinitus factum, voluntas huma-*

na NON habet se PURE PASSIVE, sed
 mota & adjuta à Spiritu Sancto non repu-
 gnat, sed assentitur, & fit *συνεργός* DEI.
 Verba sunt Chemn. d. l. Ab aliis non in-
 commodè ad duo membra reducitur,
 distinctio, ut gratia conversionis sit vel
 operans, vel co-operans. Intelligunt nomi-
 ne operantis gratiæ, eam, quæ in volun-
 tatem agit excitando, movendo, impel-
 lendo, & ad actus spiritualiter bonos
 determinando, Et hujus respectu homi-
 nis convertendi voluntas habet se *purè*
passivè: hoc est, nihil spiritualiter bo-
 num potest cooperari. Quando v. vo-
 luntas jam est excitata, præparata, mo-
 ta, & tantum gratiæ habet, ut se possit
 determinare ad actus Spirituales, eosq;
 exercere incipiat, tunc *purè passivè* se ha-
 bere desinit: sed operatur; idque non ex
 suis propriis, sed ex supernaturalibus, &
 à Spiritu Sancto jam acceptis viribus
 habet, quod operatur, quantum ad a-
 ctuum esse supernaturale: adeò ut *quàm*
primùm Dominus clementem suam ma-
 num ab ipso retraheret, homo quidem ne
 ad minimum quidem momentum in obedi-
 entia Divina perseverare posset, ut loquitur
 Decl. Form. Conc. p. 674. ideò etiam tùm.

Gratia o-
 perans.

*Gratia co-
operans.*

opus est Spiritus Sancti gratiâ. Unde postquam novis viribus voluntas nostra instructa est; Spiritus Sanctus non desinit quidem in nobis operari: operatur tamen ita, ut voluntati etiam suum relinquat munus: siquidem ipsa, per acceptam gratiam, jam determinat seipsam ad actus & res Spirituales, quas ante averfabatur. Sed voluntati, per vires gratiæ agentis, adest Spiritus S. eiq; cooperatur, vires semel datas conservando, augendo, & ut verbo dicam, ne deficiamus, clementer nos juvando: quæ gratia *cooperans* est, cujus respectu voluntas *activè* se habet. Vide, quæ in hanc sententiam scribat *Decl. Form. Conc.* p. 681.

*Augustini
locus.*

Utrumque eleganter, sed brevibus complectitur laudatissimo Pater Augustinus, in libro *de Grat. & lib. arb.* c. XVI. inquit: *Certum est, NOS VELLE, cum volumus: sed ILLE FACIT, UT VELIMUS bonum, de quo dictum est, quod paulò antè posui, quod præparatur voluntas à Domino.* Dicit, *NOS VELLE, cum volumus:* ad significandum, quod homo, quando vult, ad actum volendi se habeat *activè:* sed cum subjicit, *ILLE FACIT, ut velim;*

iii

innuere vult, quod voluntas, per se, inepta sit ad bonum Spirituale appetendum. Unde debet *preparari*: quod fit à Spiritu S. voluntatem excitando, movendo, impellendo, atque ad hoc, ut bonum velit, determinando: & sic facit *ILLE, UT VELIMUS*: quo respectu *passivè* voluntatem se habere, in cōfesso est. Similia invenias seq. *cap. XVII.* & alibi.

§. XXXII. Verum enim verò id, *Duplex* quod diximus, voluntatem *activè* se habere, in ordine ad actus, gratiam (ope- *proponi-* rantem) subsequentes, qui sunt *credere, tatio.* *velle, amare &c.* duplicem adhuc habet dubitationem: I. An ad solos illos actus completos, (liceat ita appellare) an verò etiam ad inchoatos, qui *credere, velle, amare* præcedunt, & *bonus conatus, desiderium, meditatio* dici possunt, *activè* se habeat? II. Annon voluntas & intellectus conversionis causa partialis sint? & quamvis non ex toto, ex parte tamen efficiant conversionem?

§. XXXIII. Resp. ad I. distincti- *Resp. ad 1.* one opus esse. Actus illi inchoati, seu *dubitatio-* boni motus, considerari possunt dupli- *nem.* citer: vel quantum *ad primam produ-* ctionem; vel quantum *ad continuationem*

& exercitium. Priori modo voluntas pure passivè se habet, hoc est, ad boni motus productionem primam nihil confert, activè se determinando: sed solus Spiritus S. est, qui excitat, movet, impellit, & sic novos motus in voluntate primum producit. Et hoc est, quod Augustinus *de Grat. & Lib. arb. c. XVI.* docet, voluntatem preparari à Domino, ut scilicet possit Spirituale bonum desiderare, aliquo conatu, meditatione ad illud contendere &c. Et c. XVII. *ut velimus, operari Deum SINE NOBIS.* Unde communiter primam gratiam constituunt in sancta cogitatione, & primo motu voluntatis non deliberato; quæ duo Deum *in nobis* operari *sine nobis*, ipsi met faniore Scholastici ex Augustino agnoscunt. Videatur Vatzquetz in 1. 2. *Tom. 2. Disput. 190. cap. 6.* Neque aliter sentit Chemnitius, si verba ejus rectè consideres, quæ *part. I. Ex. Conc. Trid. Sess. VI. c. II.* ita habent: *Sed illa Spirituales efficacia, spirituales illi MOTUS, quantumvis tenues, non oriuntur, non nascuntur, vel ex toto, vel ex parte, ex naturalibus potentiis, quas mens & voluntas ex prima nativitate habent. Sed sunt DONA,*
OPE-

OPERATIONES & EFFECTIONES Spiritus S. in nobis. Et ad PRIMAM EFFECTIONEM Spiritualis efficaciam & facultatis, ad Spirituales actiones in nobis mens & voluntas, ex naturalibus suis viribus, EFFECTIVE nihil conferunt. Hæc ille rectissimè de primâ illorum Spiritualium motuum effectione! Ratio est facilis: quia enim voluntas non renati hominis ad Spiritualia mortua est, & ne minimas quidem vires Spirituales retinuit, ut supra audivimus: utique gratiæ Spiritualiter cooperari non potest, nisi prius aliquas vires operandi à Spiritu S. acciperit: accipit autem eas demum in prima illa Spiritualium motuum productione; quæ est primus actus gratiæ convertentis.

Quod v. exercitiû attinet, in eo consistens, ut motus illos postea etiam exerceamus, & *meditando, orando, conando, luctando instemus*, B. Chemnitius loco jã citato verissimè scribit: *Quando Spiritus S. per verbum cœpit naturam sanare, accensâ aliquâ scintillâ efficaciam & facultatis Spiritualis; licet renovatio non statim sit perfecta, & absoluta, sed in magna infirmitate TANTUM INCHOATA: tunc tamen*
 NEC

NEC MENS NEC VOLUNTAS EST O-
 TIOSA, sed aliquos habent NOVOS MO-
 TUS, quos etiã debēt exercere meditando,
 orando, conãdo, luētãdo, (luētã intellige
 nō aduerso Spiritũ; sed aduerso carnem)
 atq; ita purè passivè se nō habēt. Eo ipso
 enim, quo meditatatur mens; quo cona-
 tur, luētatur voluntas; agunt, & ad bo-
 num Spirituale, quamvis langvidè &
 cum magna infirmitate, contendunt,
 seque ad pium assensum determinare,
 incipiunt, non tamen ex suis naturali-
 bus, sed ex supernaturalibus viribus,
 quas Spiritus Sanctus jam tum contulit.
 Quò pertinet, quod Augustino, *de Corr.*
& Grat. cap. II. scribit *aguntur (à Deo)*
ut agant, non ut ipsi nihil agant: Sicut
non otiosa esse in nobis patitur (Spiritus S.)
quæ exercenda, non negligenda donavit, ut
loquitur Autor de Dogm. Eccl. cap. XXXII.
 ita nec primam gratiam, quam initiò
 statim conversionis contulit, ad exer-
 cendos bonos motus, otiosam esse vult;
 sed ut exerceamus *meditando, orando, co-*
nando, luētando, ut ait Chemnitius. Hinc
benè For. Conc. in Decl. p. 674. Quampri-
mùm Spiritus S. per verbum & Sacramen-
ta opus suum, regenerationis & renovatio-
nis

Locus ex
 Decl.
 Form.
 Conc.

nis, in nobis INCHOAVIT ; quod reverà
 tunc per virtutem Spiritus S. cooperari pos-
 simus ac debeamus : quamvis multa adhuc
 infirmitas concurrat. Hoc verò ipsum, quod
 cooperamur, non ex nostris carnalibus &
 naturalibus viribus est ; sed ex novis illis vi-
 ribus & donis, quæ Spiritus S. in conversio-
 ne in nobis inchoavit. In quam sententiam
 D. Paulus expressis verbis graviterhorta-
 tur : ut curemus, ne, tanquam Dei coopera-
 rii, frustra Dei gratiam acceperimus.

§.XXXIV. Ad II. resp. negando, *Resp. ad II*
 quod hominis voluntas sit conversio- *dubitatio-*
 nis causa partialis. Nam causa partialis *nem.*
 propriè notat causam, quæ influit in esse-
 tum, concurrente simul alià causâ ejus-
 dem ordinis in eodem genere, sicut duo e-
 qui, ad trahendum currum, ita concu-
 runt, ut quilibet in genere causæ effici-
 entis, & quidem in ordine secundarum
 causarum principalium, propriâ virtu-
 te in tractionem influat. Sed voluntas
 in conversionem, quatenus actio super-
 naturalis est, nō influit virtute propriâ,
 sive primam Spiritualium motuum ef-
 fectionem ; sive eorum vel etiam com-
 pletorum actuū exercitium spectes. Il-
 lo enim respectu non activè, sed passivè
 se

se habet voluntas, ut dictum: hoc verò
 ordine, quamvis activè voluntas se ha-
 beat, etiam quoad esse supernaturale a-
 ctuum; vis tamen activa, per quam se ad
 actum determinat, non est ita ei pro-
 pria, ut alia virtute influat Spiritus S.;
 alià voluntas: quod fieri deberet, si vo-
 luntas & Spiritus Sanctus, in eo ordine,
 causæ partiales essent: sed totus actus,
 (quantum ad esse Supernaturale) est à
 Spiritu S. si virtutem agendi spectes; &
 sic solus Spiritus S. est causa, non tantum
 nostræ conversionis, sed etiam subse-
 quentium actuum Spiritualium. Volun-
 tas verò est causa eorundem actuum,
 quoad exercitium: quia voluntas est,
 quæ actus illos exercet: sed, ut dixi,
 viribus à Spiritu S. acceptis, exercet eos,
 quippe per quas in solidum, ad res Spi-
 rituales appetendas, se determinat. Un-
 de benè scribit laudatus noster Gerhar-
 dus *in Confess. Cathol. L. II. part. III. art.*
XXII. c. IV. p. 537. non esse questionem, an
in conversione locum habeant quedam a-
ctiones mentis & voluntatis, ita ut in ipsa
conversionis inchoatione mens assentiatur,
& voluntas desideret. concedimus enim,
ait, conversionem non fieri sine actionibus
men-

men-

mentis & voluntatis. Illud verò in questione est, unde mens & voluntas hoc habeant, ut Spirituales motus proferant, & oblatæ in verbo gratiæ assentiantur? id quod unicè per gratiam ipsis præstari; non autem per vires naturales adhuc reliquas, vel ex toto, vel ex parte, præstari posse dicimus.

Omniùm pulcerrimè rem explicat S. Bernhard. in libro de Grat. & Lib. arb. Col. 919. inquit: Ipsa (gratia) liberum excitat arbitrium, cum seminat cogitatum; sanat, cum immutat affectum; roborat, ut perducatur ad actum; servat, ne sentiat defectum. Quibus gratiæ tribuit omnia, & initiũ, & progressũ. Jã subjicit: Sic autem ista (gratia) cum libero arbitrio operatur: ut tantum illud in primo præveniat, in cæteris comitetur. Ad hoc utiq; præveniens, ut jam sibi deinceps cooperetur. Quæ declarant, qualiter se liberum arbitriũ h. e. mens & voluntas, habeat: videlicet, gratia prævenit liberum arbitrium (quod fit excitando, & menti sanctam, cogitationem; pium desiderium voluntati inspirando) & sic mens & voluntas nondum cooperantur gratiæ: deinde autem incipiunt gratiæ cooperari.

Bernhardus de
Grat. &
Lib. arb.

Se-

Sequitur nunc cooperationis modus: Ita tamen, quod à sola gratia cœptum est, pariter ab utroq; perficitur: ut mixtim, non sigillatim; simul, non vicissim, per singulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium; sed totum singula opere individuo peragunt: totum quidem hoc, & totum illa: sed ut totum in illo, sic totum ex illa.

Nota, quod dicit; quod à sola gratia cœptum est, ab utroq; perfici:

I. *UT MIXTIM*, non sigillatim agant: hoc est, ut gratia & voluntas concurrant ad unum effectum; neque aliud operetur gratia, aliud voluntas. Loquitur autem de actibus, gratiam operantem (quam hoc loco appellat prævenientem) subsequenter.

II. *SIMUL*, non vicissim: h. e. ut una eademq; actio sit, in qua concurrat & gratia, & voluntas; neque modò gratia, modò volūtas, vel, ut Bernhardi verba habent: *partim gratia, partim liberum arbitrium* operetur: quod omninò fieri deberet, si voluntas & gratia propriè essent partiales causæ: sed *TOTUM* singula opere individuo peragunt.

III.

III. *Totum quidem hoc* (liberum arbitrium) & *totum illa* (gratia.) *Totum* dicitur liberum arbitrium agere, & *totum* gratia. Sed modus actionis est diversus. Gratia agit *totum* non in se, sed *in illo*, h. e. in libero arbitrio. Sed liberum arbitrium agit *totum*, non ex se, seu suis naturalibus viribus; sed *EX ILLA*, h. e. ex gratia: quia quicquid agit hominis voluntas, ad res Spirituales se determinando; non propria agit virtute, sed omne ac totum in virtute & gratia Spiritus S.: quæ est clarissima nostræ respõsionis, ad præsentem dubitationem, explicatio.

A Bernhardo, quantum ad rem, non dissentit Gregorius Arimin. II. Sent. d. XXVI. q. I. art. III. cum locum Augustini, de Grat. & lib. arb. certum est nos velle, cum volumus & c. expositurus, ita scribit: *Quæ verba si benè considerentur, patet eum* (Augustinum) *distingvere duplicem DEI modum operandi, circa bonum velle nostrum. Unus est sibi proprius, in quo voluntas nostra nõ cooperatur: utpote facere, nos velle: ideò ait: ut ergò velimus, sine nobis operatur: sine nobis, inquam, operantibus, ut velimus Quia licet voluntas velit, & causet*

Gregorius
Arimin.

E 70-

volitionem: non tamen facit, se velle, aut
causare volitionem. Nec tamen, quia Deus
facit; ideò ipsa non causat, sed potius ideò
causat. Et propterea ad illud excludendum
Aug. in c. 7. de Corr. & grat. de filiis Dei, de
quibus ait Apostolus, quod Spiritu Dei a-
guntur, inquit: aguntur enim, ut agant; non
ut ipsi nihil agant. Alius modus est sibi &
voluntati communis, s. causare volitionem.
Ideò ait: cum volumus, nobiscum operatur.
Et quia utrumq; nobis necessarium est, nec
alterum sufficit ad benè velle: ideò addit: ta-
men sine illo nihil, operante, ut velimus & c.

Deus non
est in cau-
sa, quod
multi non
convertã-
tur.

§. XXXV. Quamvis verò solius
Dei opus sit nostra conversio, & homo
ex suis virib9 activè conferte nihil pos-
sit; ejus tamen, quod multi non conver-
tuntur, causa in Deum nequaquam re-
ferenda est: quippe qui jurejurando
confirmat, se nolle mortem impii, sed ut
convertatur, & vivat: Ezech. XXXIII, 11.
jurat Deus, ut, si non credimus promittenti
Deo, credamus saltem pro salute juranti,
ait Hieronymus Tom. II. Epist. XLVI.
Confer Ebr. VI, 16. & seqq. Qui vult o-
mnes homines salvos fieri, & ad agnitio-
nem veritatis venire I Tim. II, 4. Unde
Esa. LXV, 2. dicit, se totâ die expandisse

ma-

manus suas, & c. V, 4. se vineæ suæ omnia fecisse: hoc est, omnia, ad conversionem requisita, media adhibuisse populo suo: ut converterentur & c. ex quibus, & aliis Scripturæ locis, de propensa Dei, in miseros peccatores, volūtate, satis constat.

§. XXXVI. Non igitur Deus, sed *Homo ipse* homo ipse, gratiæ Dei obicem ponens, & malitiosè resistens, *in culpa est.* quod non convertatur: ut meritò justissimus Deus, postquam testatus esset, se nihil omisisse eorum, quæ ad populi sui conversionem necessaria erant, conqueratur: *quamobrem cum expectasset, ut ederet uvas, edidit labruscas. Esa. V, 4.* Innuit quippe, eâ gratiâ se vineæ suæ, h. e. Judæis exhibuisse, ut potuissent cōverti, & *uvas*, h. e. opera Deo grata proferre, & vitam, homine regenito dignam, vivere: quod autem nihilominus non *uvæ*, sed *labruscæ*, h. e. opera impia, provenerint, culpam penes vineam esse. Huc pertinet lamentabilis vox Salvatoris, de Judæorum malitiosâ resistantia, cum lacrimis conquerentis: *Jerusalem, Jerusalem, trucidatrix Prophetarum, & lapidatrix eorum, qui ad te missi sunt! quoties vo-*

lui congregare liberos tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & NOLUISTI, *Matth. XXIII, 37.* & increpatio B. Stephani *Act. VII, 51.* *Duri cervice, & incircumcisi corde & auribus! Vos semper Spiritui S. resistitis. sicut patres vestri, ita & vos. Et Job. V, 40. Vos NON VULTIS ad me venire, ut vitam habeatis.*

Cōtra-Remonstrantes dissentiunt.

§.XXXVII. Sed hīc dissentientes habemus *Contra-Remonstrantes*: qui negant, hominem gratiæ Spiritus S. resistere posse: quando quidem *resistere* idem est, quod *impedire planè gratiam*, ne conversio obtineatur. Alioqui cōcedunt, hominem non renatum resistere posse, ita tamen, ut resistantia illa à gratia tandem superetur, & tollatur. Vide *Collat. Hag. Bertii p. 224.* & alibi. Inde culpam ejus, quod multi non convertuntur, in Deum transferunt, qui eos, ex absoluto quodam decreto, nolit convertere.

Cōtra-Remonstr. opinio rejicitur.

§.XXXVIII. Sed huic opinioni Scriptura sacra, & in specie illa ipsa loca, quæ in §§. proximè præcedentibus adducta sunt, ita evidenter contradicunt, ut ejus patroni omnis generis lubrica

brica effugia quærere necesse habeant,
quando Scripturę dictis urgentur.

Pareus, ut est in *actis Synod. Dor-* *Parei di-*
drecht. p. 220. & seq. triplicem distingvit *stinctio,*
gratiam: I. *Est vocans, seu vocationis ex gratia*
ternæ, quâ Deus homines nondum rena- *in 1. vocan-*
tos foris dignatur vocare, seu invitare ad *tem. 2. o-*
fidem, obedientiam & salutem, per vocem *perantem.*
legis, & conciones Evangelii. II. Operans, 3. coope-
seu motionis internæ: quæ est motus mise- *rantem.*
ricordiæ Dei, quo intus in mentibus, volun-
tatibus, & cordibus nondum regenitorum
operatur ea, quæ ad conversionem pertinet.
III. *Cooperans, quâ Deus bonæ voluntati*
hominis regeniti intus cooperatur, quæq;
homo renatus in statu gratiæ corroboratur.
De gratia prima fatetur, quod minimè sit
irresistibilis, sed nimis resistibilis: imò quod
voluntas non-renata nihil possit, nisi gratiæ
vocanti resistere. Et hanc resistibilita-
tem hæctenus efficaciter probatam esse
concedit. De tertia negat etiam, propriè
quæstionem esse. De sola autem secunda
putat esse controversiam. Hæc, inquit,
gratia seu motio propriè est, quæ in quæstio-
nem venit, nec tota tamen. Testante enim
Scripturâ, & experienciâ, sunt hujus gratiæ
distincti gradus. Aliquorum enim Deus mi-

feretur usq; ad bonum illuminationis, & fidei historice: aliquorum usq; ad bonum fidei temporaria, & alicujus letitiae: aliquorum deniq; usq; ad bonum fidei salvifica, & regenerationis &c. De tertii, ait, gradus operatione (quæ vocatio interna dicitur) totum quæsitum est. Irresistibilem hanc DEI motionem esse, firmissimè probarunt orthodoxi. Hæc Pareus, à quo, quantum ad rem, non dissentiunt judicia Theologorum Britannorum, Palatinorum, Helvetiorum, & aliorum, quæ Actis Synod. Dord. adjecta sunt. Videamus, an difficultatem tollat ista gratiæ distinctio.

Concluditur ex prima gratiæ resistibilitate.

§. XXXIX. I. quod Pareus largitur, primam gratiam, quam *vocantem* nominat, *minimè esse irresistibilem, sed nimis resistibilem*, accipimus. Ex eo autem adversus Contra-Remonstrantes colligimus ita: Gratia *vocans* non est irresistibilis. Ergò & gratia *operans* irresistibilis non est. Ratio consequentiæ est: quia in ordinaria conversione, (de qua loquimur) gratia operans *vocantem* præsupponit, fatentibus illis ipsis, qui nobis hîc adversantur. Unde Wendelinus in *Theol. Christ. L. I. c. XXIV. p. m. 447. Fatentur,*

temur, inquit, ordinariè quidem nemini
 adulto fidem dare Deum decrevisse, sine
 verbo audito, vel lecto. Qui igitur ver-
 bum contemnit, repudiat, aures contu-
 maciter ad illud occludit, & sic gratiæ
 vocanti resistit; is impedit simul, ne gra-
 tia operans possit ad cor penetrare, & fi-
 dem operari. Hoc autem potest quilibet
 non renatus facere, Pareo concedente.
 Ergo & quilibet potest gratiæ Dei, quam
 operantem vocat, resistere, & sui conver-
 sionem impedire. Exemplo res erit illu-
 stris. Act. II, 41. ad concionem Petri con-
 versos legimus circiter ter mille homi-
 nes. Illis primum obtingebat gratia vo-
 cans, per Petrinam Evangelii prædicati-
 onem, cujus concio ibi proluxè descri-
 bitur. Per hanc operabatur Deus intus
 in illorum mentibus, voluntatibus, &
 cordibus ea, quæ ad conversionem per-
 tinent, ut loquitur Pareus d. l. & quidem,
 ex ejus opinione, irresistibiliter. Dicat
 hîc Pareus: an illi conversi ita admise-
 rint primam gratiam, ut potuerint eam
 non admittere, ad concionem Petri au-
 res contumaciter occludendo, cogitati-
 ones avertendo &c. an verò necessariò
 & irresistibiliter eam admiserint? Si pri-

*Exemplo
 res decla-
 ratur.*

us

us dixerit, sicut vi ejus, quod gratiam illam primam *minimè esse irresistibilem, sed nimis resistibilem*, falsus est, aliter non potest: necessario sequetur, quod in eorum potestate fuerit, non converti: quia si illam gratiam aspernati fuissent, non essent conversi: cum ad conversionem ordinariam ita necesse sit, gratiam primam admitti, ut nisi admittatur, conversio ordinariè obtineri nequeat. Sed eam potuerunt aspernari, ut conceditur. Ergò potuerunt non converti. Ergò non *necessariò, irresistibiliter, inevitabiliter* conversi sunt, ut opinantur Contra Remonstrantes.

De operantis gratiae §. XL. II. De gratia operante, ait Pareus: *aliquorum miseretur Deus 1. & 2. gradus usq; ad bonum illuminationis, & fidei historicae; aliquorum usq; ad bonum fidei temporaneae, & alicujus laetitiae.* Hi sunt priores duo gradus operantis gratiae, ex ejus opinione. Jam quaero, an Deus seriò velit illos convertere, ita ut culpa ejus, quod non convertuntur, in Deo non sit, sed in hominibus, quando eorum miseretur, *quoad bonum illuminationis, fidei historicae, fidei temporariae: an verò no-*
lit

lit serio eos convertere, neq; habeat intentionem, fidem salvificam in iis producendi, ita ut culpa ejus, quod non convertuntur, in Deo sit, qui salvificam fidem in iis operari noluerit? Prius asserunt Patres Synodi Dordrecht. *Can. de Corr. & Convers. art. IX. fol. 257.* Quod multi, per ministerium Evangelii vocati, non veniunt, & non convertuntur, hujus culpa non est in Evangelio, nec in Christo, per Evangelium oblato, nec in Deo, per Evangelium vocante, & dona etiam varia iis conferente; sed in vocatis ipsis, quorum aliqui verbum vitæ non admittunt securi; alii admittunt quidem, sed non in cor immittunt: quibus Pareus vix poterit contradicere. Per eos autem, qui admittunt quidem (verbum vitæ,) sed non in cor immittunt; alii non intelliguntur, quam quos Pareus comprehendit sub primo & secundo operantis gratiæ gradu, sc. in quibus Deus obtinuit intentionem, quoad bonum illuminationis & fidei historicæ; vel fidei temporariæ, ac alicujus letitiæ. Statim enim subjicitur: *ideoq; post evanidum FIDEI TEMPORARIÆ gaudium resiliunt; alii spinis curarum, &*
E S volu-

voluptatibus seculi, semen verbi suffocant &c.

*Illatio ad-
versus Cō-
tra-Remō-
strantes.*

Ex quib. sic colligo; Illi, qui admiserunt verbum vitæ, & Dei gratiâ operante, illuminati sunt, atq; fidens temporariam, cum aliqua lætitia, conceperunt, adhuc possunt *non immittere* in cor verbum vitæ. Ergò illi, qui admiserunt verbum vitæ &c. possunt adhuc resistere Spiritui S. per verbum vitæ regenerationem seriò intendenti, & facere, ut interius non convertantur. Antecedens patet ex verbis Synodi Dordrecht. Consequentia ratio est: quia verbum vitæ nō immittere in cor, cū de homine convertendo dicitur, nihil aliud est, quàm impedire, ne à Deo, cujus soliq est immittere (h e. per verbum ad cor penetrare, & ut ait Pareus, intus in mente, volūtate & corde *bonū salvificæ fidei & regenerationis* operari) immittatur. E. Gratia qvertens tū etiā, quādo fides tēporaria, cū aliqua hominis lætitia, producta est, *resistibilis* est; ita ut per hominem stare possit, ne conversio, quam Deus seriò vult efficere, interius obtineatur. Ergò & illi, qui actu convertantur, convertuntur

tur

tur *resistibiliter*, h. e. ita, ut in eorum potestate sit, resistere, & non converti. Aut enim primus & secundus gradus gratiæ operantis ita est efficax, ut, cum admittuntur, necessariò & inevitabiliter sequatur tertius: in quo, juxta Pareum, consistit regenerationis & fidei salvificæ productio; nec in hominis potestate sit amplius resistere: aut adhuc est in ejus potestate resistere, & impedire; ne tertius gradus gratiæ operantis finem suum assequatur. Prius dici non potest. Pareus enim concedit cum Synodo Dordrecht. quosdam, qui bonum illuminationis & fidei historicæ, vel temporariæ habent, & sic primum & secundum gradus operantis gradum admiserunt, non converti, & sic tertii gradus operationem excludere. Relinquitur ergò posterius, quod nobis probandum fuit: & sic gratia convertens irresistibilis non est.

§. XLI. III. Deniq; quod scribit Pareus, *de tertii gradus operatione* (quæ *vocatio interna* dicitur) *totum quæsitum est*, duplicem sensum habere potest. an, postquam gradus primus & secundus admisi sunt, in hominis potestate sit, repugnare & impedire, ne gradus tertii operatio

De 3. gradu gratiæ operantis.

peratio finem suum assequatur? 2. An
 tertii gradus operatio, dum admittitur,
 necessariò (necessitate hypothetica) ad-
 mittatur, ita ut nequeat simul admitti,
 & nò admitti? Priori sensu verba Parei
 intelligi debere, quilibet prudens judi-
 cabit: cum posteriori modo intellecta,
 quæstionem planè ridiculam & stolidã
 pariant. Atq; ita gratiã conversionis nò
 esse *irresistibilem*, hæctenus probavimus.
 Sed Pareum cum sociis ludere, & poste-
 riorem sensum ineptè intendere, docet
 me iudicium Palatinorũ, quod annexũ
 est actis Synod. Dordrecht. fol. 137. in
 quo tertium hunc gratiæ operantis gra-
 dum, à parte voluntatis, irresistibilem es-
 se, ita ostendunt. *Nam subdita (voluntas)
 gratiæ efficaci jam nò vult resistere: & quia
 non vult, necessariò non vult, sicq; resistere
 velle non potest, salvã sua libertate. Nã lu-
 numquodq; dum est, necessarium est. En-
 magnorum Virorũ magnũ lusum! Sub-
 dita, dicũt, gratiæ efficaci, jam nò vult resi-
 stere: sensus est, quod voluntas, quando
 jã subjectũ est gratiæ efficaci, seu quan-
 do gratia efficaciã suã in ipsa obtinuit,
 & bonum velle produxit, nò velit resiste-
 re; quod libèter admittim; Sed nò que-
 ritur*

*Lusus Pa-
 rei.*

ritur: an voluntas tum, quando ex Spir. S. operatione vult, & gratiæ obtéperat, nolit resistere? Sed, utrum ante *boni velle* productionem, potuerit nolle, potuerit resistere, & sic impedire, ne hoc velle per gratiã operantẽ produceretur? Hæc duo sanè differũt: siquidẽ de eo, qui ex liberissima voluntate ambulat, rectè dico, q̃ nolit federe, dũ vult ambulare. An autẽ ex eo sequitur, quod is, qui ambulat, necessariò & inevitabiliter ambulet, ita ut nõ possit nõ ambulare? Unde ineptissima est illatio: quia *nõ vult, necessariò non vult, sicq; resistere velle non potest, salvã suã libertate.* Sic n. sequetur, quod omnia, quæ volumus, vel nolumus, necessariò velimus vel nolumus, ut nõ possimus nõ velle, vel nõ nolle: v. g. qui homicidium furtũ, adulteriũ &c. ex deliberato consilio cõmittit, necessariò & inevitabiliter illa cõmittere censendus erit: eò quod, qui talia ex proçresi cõmittit, vult committere: & quia vult, juxta Theologos Palatinos, necessariò vult, sicq; committere nolle non potest? Hoc q̃d aliud est, quã veterũ hæreticorũ perniciosum errorem, rerũ contingentiam omnẽ tollentiũ, ex Orco reducere? Ratio probationis quæ

*Genuinus
questionis
status.*

*Inepta Pa-
latinorum
probatio.*

quæ extrito illo: unūquodq, dū est, necessariū est: de-
 promitur, nihil probat: loq̄turn. de necessitate hy-
 pothetica, quæ cū q̄tingentia & libertate, tū specifi-
 cationis, tū exercitii, stare potest; ac probat hoc: q̄-
 versionē, dū à gratiā operāte producta est, nō posse
 nō esse productā; cū nihil possit simul esse, & nō es-
 se: at cū de q̄versionis necessitate Contra-Remon-
 strantib. lis movetur; quæstio non est de eo: an cō-
 versio p̄ducta per hoc, q̄ producta est, ita sit neces-
 saria, ut nō possit simul esse p̄ducta, & non p̄ducta?
 de hoc n. nemo, nisi mentis inops, dubitat. Sed h. e.
 de quo q̄trovertitur: an q̄versio ita à Deo produca-
 tur, ut in hominis potestate nō sit resistere, & impe-
 dire, ne producatur? Id quod axioma illud nequa-
 quam probat. Et tantum de hac materia!

ADDITAMENTA.

I. *Non simpliciter Verum est, quod Stabil. Iren. p. 74. & Victo. Stab. p. 100. & seq. scribit: omnium hominum, post la-
 psum, esse eandem conditionem; ut in uno non possit esse ma-
 jor ratio, cur non convertatur, quàm in altero.*

II. *Verissimum est, quod Vict. Stabil. p. 101. urget, omnes
 homines naturā peccatores esse, & filios iræ. Item: ex propriis vi-
 ribus se neminem posse juvare; & salvificam fidē Dei donū esse,
 ut ita nihil boni Deus in nobis inveniret, quod sit ex nobis, ob
 quod fidē nobis daret. Hac omnia, ex Verbo Dei edocti, admit-
 timus, & propterea salvifica fidei donum gratia Divina in soli-
 dum; nostris viribus nihil, adscribimus. Negamus a. inde sequi,
 absolutum vel cōversionis vel electionis decretū; assertentes, Deū
 nihilominus invenisse causam in homine: cur fidem, quam unū
 dat ex mera gratia, alteri actu non det: quam tamen ex eadē
 gratia serió dare volebat: videl. repugantiā, quā gratia Dei
 grammaciter & ex proposito opponit: quā alii non ita opponunt.*

III. *Querit Stab. Iren. p. 75. & Vict. Stab. p. 101. cur Deus, qui est omnipotens Dominus, & omnium corda in manu habet, illā repugnantiam, quā quidā contumaciter, & ex proposito, gratia opponunt, non tollat: quod tamen pro sua omnipotentia facile posset? Resp. quia Deo visum est, nobiscum agere, tanquā cum rationali creatura. Ideo ordinavit media, per quae vellet in nobis efficax esse; & vires nobis concedit, ut possimus eis liberē uti, vel non uti. Quae si sua sponte quis negligit, & non convertitur; is sibi imputet. Simile licet deprehendere in rebus temporalibus.*

IV. *Vendelinus Christ. Theol. l. i. c. XXII. p. m. 364. argumentatur ita: Si ideò non regenerantur adulti, quia obicem ponunt operationi Spir. S.: sequitur, vel nullos omninò adultos regenerari, & efficaciorē esse adultorū pravitatē actualē, quā Spiritus regenerantis gratiam & évéγγέλιον. Vel omnes, qui regenerantur, ita naturā paratos esse, ut sine pugna Spiritui se sponte submittant. Prius falsū & absurdū; Scripturæ & experiētiae contrariū. posterius etiā planè Pelagianum.*

Resp. 1. κατ' ἀνάγκην, similem in modum colligentes:

Si ideò multi, per ministeriū Evangelii vocati, nō convertuntur, & nō convertuntur, q̄ verbū vitæ non admittunt securi, vel admittunt q̄d, sed non in cor immittunt (& sic Spir. S. obicem ponunt. Vide supra S. XL.) sequitur vel planè neminē converti & c. Vel omnes, qui convertuntur, ita naturā cōparatos esse, ut sine pugna Spiritui se sponte submittant. Sed prius est falsū & absurdū: Posterius, dicente Vendelino, planè Pelagianū. Quid ergo facient Patres Synodi Dordrechtana, qui antecedens perceptis verbis habent? Verba citavimus supra in S. XL. ubi videas.

2. Directè resp. prius consequens presupponere falsum: posterius autem esse ambiguum.

Prius, q̄ dicit, seq. nullos omninò adultos regenerari, nititur hoc fundamento, q̄ hominū corruptorū par ratio sit, & aequè omnes naturā repugnent Spiritui regeneranti: quod non simpliciter admittimus. Sciendum igitur, q̄ hominum inter se possit comparatio institui. I. In genere, respectu peccati, tum originalis, tū actualis, quatenus utriq; homo post lapsū, ex quadā necessitate

cessi-

cessitate, subiectus est. II. Specialiter, respectu alicujus malitiae, sponte contractae. Priori respectu omnes homines, ordinario modo propagatos, pares esse, largimur, et constat inter alia ex Rom. V, 12. c. III, 9. & seqq. Gen. VI, 5. c. II, 21. posteriora a. ratione maxima inter eos disparitatem esse, toties docemur, quoties Scripturae de quorundam obstinate specialiter queritur: Vide Act. VII, 51. c. XIII, 44. Matth. XXIII, 37. &c.

Quando igitur dicimus, quosdam homines propterea non converti, quod obicem ponant Spir. S.; non intelligimus quamcumque reluctantiā; sed illam spontaneam, quam gratia Dei ex proposito opponunt, quae non est omnibus hominibus communis. Unde apertum est, non sequi: neminem plane, (sed illos saltem, qui ex proposito obicem ponunt Spiritui S.) non converti, seu regenerari: quod verissimum est.

Posterioris sequens erat: Vel omnes, qui regenerantur, ita naturam comparatos esse, ut sine pugna Spiritui se sponte submittant. Sed hoc potest intelligi. I. de pugna naturali, h. e. de interiore lucta carnis adversus Spiritum, quae naturaliter fluit ex corrupta hominis natura: Et sic negamus, quinquam hominum corruptorum naturam ita comparatum esse, ut sine pugna Spiritui regeneranti se sponte submittat: neque id sequi potest ex antecedente.

II. De affectata & obstinate repugnantia, quae non ex natura corrupta, sed ex mentis excacatione, & cordis duritie, sponte contracta, proxime provenit. Et sic procedimus, non solum omnes, qui convertuntur, sed eos etiam, qui non convertuntur, ita esse naturam comparatos, ut sine ejusmodi affectata & obstinate repugnantia (quae sc. quidam media conversionis ex proposito contemnant, abjiciunt, & quasi pedibus conculcant; cogitationes avertunt; nulla meditatione verbum dignantur &c) Spiritui regeneranti se submittere possint, quoad illa externa: quibus maneat interior lucta adversus Spiritum: quae tamen successive, Verbi efficaciam, tollitur, si spontanea & affectata contumacia absit. Hoc a., quod homo ita affectatam repugnantiam possit non opponere, Pelagianum minimè est: nisi velimus homini, etiam circa

res externas, omnem libertatem eripere, eumque in brutum transformare.

